MASTER NEGATIVE
NO. 93-81405-3

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KEIL, KARL

TITLE:

UTRUM MARTIALIS CODICUM PRIMA...

PLACE:

JENAE

DATE:

1909

Master Negative #

93-81405-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87M36
Z8
v.1

Keil, Carl, 1885-
Utrvm Martialis codicvm prima familia pecvliarem habeat avctoritatem necne qvaeritvr, dissertatio ... quam scripsit ... Carolvs Keil ... Ienae, Typis G. Nevenhahni, 1909.
55 p. 22½ cm.

Thesis. Jena.
No. 3 of vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/11/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 3

VTRVM MARTIALIS CODICVM PRIMA FAMILIA PECVLIAREM HABEAT AVCTORITATEM NECNE QVAERITVR

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

CAROLVS KEIL

ARNSTADIENSIS

IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMIX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 18. Juli 1908.

Geh. Hofrat Professor Dr. Linck,
d. Zt. Dekan.

M. Valerii Martialis epigrammata permultis libris manuscriptis memoriae prodita sunt. Quos omnes codices postquam Schneidewinus in tres familias digessit, Friedlaenderus autem e tribus antiquis recensionibus derivatos esse demonstravit, Lindsayus tripertitam contextus formam in apparatum criticum editionis suae recepit lectiones archetypi primae familiae A siglo A^A, secundae familiae B siglo B^B, tertiae familiae C siglo C^C significans. Secundum hos igitur viros doctos tres illae librorum classes pendent a tribus antiquis archetypis; quam ob rem unicuique peculiaris auctoritas attribuenda est. Mirum autem nobis accuratius in horum librorum discrepantias inquirentibus videbatur in prima familia et permultos calami errores inveniri et ingentem interpolationum molem, ita ut facillime quispiam putaverit hanc primam familiam omnino non habere peculiarem vim neque pendere a novo eoque antiquo codice manuscripto, sed derivatam esse ex una vel altera ceterorum librorum classi. Itaque, quamquam iam Friedlaenderus in praefatione editionis suae et Lindsayus in libello qui inscribitur „Ancient editions of Martial" nonnullis exemplis allatis de hac quaestione disputaverunt, tamen mihi operae pretium videtur esse, omnes locos, qui ad hanc rem spectant, denuo investigare ex eisque eruere, utrum revera familiae A peculiaris auctoritas tribuenda sit necne.

Priusquam autem ad quaestionem ipsam tractandam accedo, paucis verbis praemittendum esse existimo, quam viam ad diiudicandam hanc rem ingredi in animo habeam. Quoniam enim e locis pariter a compluribus recensionibus traditis nihil concludere possumus de singularum auctoritate, omissis omnibus eis locis, ubi in prima recensione exstet eadem lectio quae in utraque aut altera utra ceterarum recensionum, tantum in eas primae familiae lectiones inquiramus, quae dissentiunt a classibus B et C.

Quas omnes familiae A varias lectiones perlustrantes excludemus eos locos, qui librariorum erroribus aut interpolationibus deberi possint, atque videbimus, num restent tales, qui nisi ex alio quodam antiquo fonte emanasse non possint. Ordinem autem ita instituemus, ut a locis facillime diiudicandis et expediendis profecti progrediamur ad difficiliores et difficillimos.

Primae familiae lectiones ne in uno quidem integro plenoque codice traditae sunt, sed tantum in quattuor florilegiis: H, T, R, M [1]). Quoniam autem codex T descriptus est e codice H, id quod demonstraverunt L. Traube [2]) et H. Schenklius [3]), lectiones primae familiae revera e tribus tantum libris cognosci possunt.

Sed ne diutius moremur in rebus praemittendis, transgrediamur nunc ad quaestionem ipsam pertractandam. Videamus igitur, quales sint singulae variae lectiones primae classis, quomodo sint ortae, quid denique ex eis de auctoritate totius classis concludendum sit.

I.

Poeta ipse iam sua aetate lectiones falsas atque perversas erroribus librariorum deberi queritur (II 8):

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in istis
Sive obscura nimis sive latina parum,
Non meus est error: nocuit librarius illis,
Dum properat versus adnumerare tibi.

Neque solum Martialis temporibus librarii in fungendo munere suo peccare solebant, sed etiam illa ipsa aetate, qua hi libri manuscripti, de quibus nunc agimus, exorti sunt. Itaque his in codicibus multas contextus discrepantias ad librariorum neglegentiam referendas esse postquam iam Friedlaenderus commemoravit [4]), Lindsayus in libello antea allato [5]) demonstravit, quot casibus loci mendosi atque vitiosi in contextum irrepere potuerint. Quibus

1) Accurate disseruit de his libris Friedlaenderus in praefatione editionis p. 71—76; cf. etiam praefationem editionis Lindsayanae.
2) Berliner Philologische Wochenschrift XVI 1050.
3) Jahrbücher für klassische Philologie Suppl. XXIV 400.
4) Cf. praefationem editionis p. 72.
5) Ancient editions of Martial.

de librariorum erroribus hac prima in parte dissertationis agamus atque eorum variis generibus expositis quaeramus, quid nos doceant de primae classis codicum auctoritate: quamquam ne ipsi quidem speramus, nos multum inde percepturos esse ad tractandam rem quam nobis proposuimus.

Atque primum quidem proficiscamur ab illis calami erroribus, quibus litterae confusae et permutatae sunt; quae confusiones sunt inde repetendae, quod litterae aut similem formam speciemque praebebant aut similiter pronuntiabantur. Ducamus initium ab illis, quae propter similem formam litterarum factae esse videntur.

Litterae r et s nonnumquam confunduntur, quod mirum nobis videri non potest, quia in libris minusculis litteris scriptis r et s simillime notabantur. Videas haec exempla: II 67, 1 BC *occurris*] R *occursis*; III 13, 2 BC *parcis*] T *pascis*; VI 8, 4 BC *moratus*] T *moratur*; IX 97, 11 BC *amamur*] R *amamus*; XIV 25, 2 BC *datur*] T *datus*; 71, 5 (B *infesti*) C *incesti*] T *incerti*; 129, 1 BC *uestitur*] T *uestitus*. — Propter similem formam porro permutantur litterae i et l his exemplis: I 92, 11 BC *culus*] T *cuius*; XII 25, 6 B *exilii* (C *exili*)] T *ex illi*; XIV 212, lem. BC *Pumilius*] T *Pumillus*. — His locis prima familia praebet t pro i: XIII 46, lem. B *praecocia* (C *praecoqua*)] T *praecocta*; 99, 1 BC *delicium*] A *delictum*. — Facillime etiam u et n confundi poterant; cf. XIV 59, 1 BC *uirorum*] T *nirorum*; 78, 1 BC *cernis*] T *ceruis*; 138, 1 BC *leuia*] T *lenia*. — Litterae f et s porro in his permiscentur: III 12, 3 BC *salsa*] T *falsa*; XIV 113, 2 BC *fit*] T *sit*.

Etiam litterae o et e, quia simili forma erant, immutatae esse mihi videntur [1]); cf. VI 64, 11 BC *facundo*] T *facunde*; XII 78, 2 B *malo* (C *mallo*)] R *male*. Si Lindsayus recte coniecit archetypum primae familiae XIII 45, 1 *phasidos* pro *phasides* exhibuisse [2]), hoc quoque peccatum librarii hic est adiungendum. Quoniam autem e saepissime pro ae scribebatur, nonnumquam etiam o pro ae scriptum invenimus. Haec sunt exempla: IV 22, 8 BC *perspicuae*] T *perspicuo*; XIV 156, 1 BC *amicae*] T *amico*;

1) Cf. Schuchardt, Vocalismus des Vulgärlateins II 250, ubi similes confusiones enumerantur.
2) Cf. adnotationem criticam editionis Lindsayanae.

V 34, 5 BC *sextae*] A *sexto* (nisi haec lectio a librario consulto est usurpata propter *modo*?) [1]).

Bis recensio prima exhibet a pro t, quod non est cur miremur, cum littera t in scriptura mediae latinitatis super ceteras litteras nondum emineret, ut nostra in scribendi ratione, ob eamque rem similitudinem quandam haberet cum littera a. Praeterea loci, ubi hae litterae inter se commutantur, sunt tales, ut de erroribus agi primo obtutu intellegamus: IX 60, 5 BC *ut*] T *ua*; XI 42, 4 BC *et*] T *ea*.

Adiungo nunc reliquos locos, ubi prima recensio nihil nisi huius modi scripturae menda exhibere videtur; cf. I 90, 1 BC *iunctam*] T *cunctam*; III 59, 2 BC *ubi*] T *tibi* (τι pro u); 69, 2 BC *mentula*] T *uentula*; IV 66, 9 BC *missus*] A *iussus* (ιu = m); 75, 2 BC *latias*] T *latices* (ce pro a); VIII 3, 15 BC *ut*] T *in* (uτ = ιn); 46, 2 BC *ceste*] R *cerce*; X 23, 2 BC *actas*] T *aetas*; XIII 114, 2 BC *uina*] T *urna*; XIV 163, 1 BC *thermarum*] T *terinarum*; 199, 2 BC *ab*] T *ad*.

Multo maior est numerus illorum locorum, quibus litterae — sive vocales sive consonantes — propter similem pronuntiationem confundantur. Pronuntiationem enim singularum litterarum minime stabilem atque immutabilem fuisse constat; immo vero adeo titubabat, ut saepissime diversae litterae eadem fere ratione pronuntiarentur. Atque littera a — ut agamus nunc de vocalibus — saepissime prope accedit ad e, e ad i; saepe etiam a transiit in o, o in u, u in i, ita ut singulae vocales litterae altera ab altera non accurate seiungerentur, sed continuam perpetuitatem efficerent [2]).

Saepissime a pro e vel e pro a scriptum invenimus [3]). Ac proficiscamur ab eiusmodi locis, quibus errores extare vel inde facile cognosci potest, quod plane carent sensu. Inprimis autem in verborum fine a transiit in e; cf. I 22, 1 BC *ora*] T *ore*; VI 11, 10 BC *ama*] T *ame*; VII 88, 1 BC *uera*] T *uere*; 96, 2 BC

1) Cf. G. Friedrich, Hermae tom. XLIII p. 635.

2) Exposuit hanc litterarum cognationem Schuchardt in libro, qui inscribitur Vocalismus des Vulgärlateins I 167.

3) Schuchardt, Vocal. des Vulgl. I 185—205 collegit locos, ubi a in e transiit; I 206—223, ubi e in a transiit. Praeterea cf. An eight-century Latin-Anglo-Saxon Glossary, edited by J. H. Hessels, ubi p. XXII et p. XXV praefationis huiusmodi exempla composita sunt.

maxima] R *maxime*; 96, 4 BC *pensa*] R *pense*; IX 54, 5 BC *cara*] T *care*; XI 39, 6 BC *ipsa*] T *ipse*; XIV 27, 1 BC *cana*] T *cane*; 131, 2 BC *transfuga*] T *transfuge*; 160, 2 B *stramina* (C *stragina*)] T *stramine*; addo III 87, 3 BC *qua*] T *que*. In contrarium etiam a pro e invenimus his locis: IV 31, 10 BC *belle*] T *bella*; XIII 60, 2 BC *ille*] T *illa*. Rarius commutantur hae litterae medio in verbo, ut his exemplis: I 115, 4 BC *quandam*] T *quendam*; V 1, 4 BC *plana*] T *plena*; XI 81, 1 BC *sene*] T *sane*; XII 92, 3 BC *quemquam*] T *quamquam*; XIII 77, 1 (B *deficiens*) C *defecta*] A *defacta*; XIV 193, 2 BC *quem*] A *quam*. I 33, 1; 33, 3; IV 20, 2; V 29, 1 prima recensio scribit *Gallia* pro *Gellia*, quas lectiones ad errores revocandas esse elucet inde, quod aliis locis, ut III 55, 3, etiam prima familia recte exhibet *Gellia*.

Sequentes quoque formae, quoniam pessime quadrant in cetera verba, nihil nisi errores videntur esse: II 88, 2 BC *recites*] A *recitas*; IV 49, 9 BC *laudant*] T *laudent* (sed *mirantur, adorant!*); VI 85, 6 BC *resonet*] T *resonat*; XI 27, 12 BC *roget*] T *rogat* (sed *velit* v. 11!); 32, 2 BC *teges*] T *tegas*; 81, 6 BC *facias*] T *facies*; XIII 23, 2 BC *portat*] T *portet*. Quibus omnibus locis recensio A praebet falsam vel peiorem lectionem, quam ob rem nemo dubitabit has discrepantias librariorum erroribus vitio vertere. Sed inveniuntur etiam exempla, ubi errores non sunt tam aperti, ut I 48, 4 BC *a*] T *e*; X 27, 3 BC *et*] T *at*; XI 7, 10 BC *paras*] A *pares*; 16, 8 BC *leges*] A *legas*; XIV 16, 1 BC *improba*] T *improbe*; 31, 1 BC *gemes*] A *gemas*; 44, 1 B *fiet* (C *fient*)] A *fiat*; 125, 2 BC *veniet*] A *ueniat*. Quoniam autem scimus, quam facile a et e commutatae sint, hae quoque lectiones per errorem librarii in contextum irrepsisse videntur, praesertim cum omnibus his locis altera et tertia familia eandem atque eam bonam exhibeant lectionem.

Saepissime etiam a et o confunduntur [1]): I 59, 1 BC *baiana*] T *baiona*; V 57, 2 BC *resaluto*] A *resoluto*; VI 25, 7 BC *martemque*] T *mortemque*; 89, 2 BC *arguto*] T *arguta*; VIII 33, 21 BC *hac*] T *hoc*; 55, 21 BC *loquar*] T *locor*; IX 37, 2 BC *absentes*] T *obsentes*; X 42, 1 BC *dubia*] T *dubio*; 54, 1 BC *opertas*] T *aper-*

1) Cf. Schuchardt, Vocal. des Vulgl. I 169—177, 177—185. Cf. etiam Hessels, An eight-century Latin-Anglo-Saxon Glossary, introduction XXI et XXXII.

tas; 66, 4 BC *polluit*] R *palluit*; 85, 5 B *alta* (C *aula*)] T *alto*; XI 58, 2 BC *puta*] T *puto*; XII 7, 1 BC *toto*] T *tota*. Quibus locis addo etiam sequentes, ubi, quamquam familiae A lectio ferri potest, tamen errores exstare mihi videntur: IX 95[b], 5 BC *puta*] A *puto*; X 97, 1 BC *arsura*] A *arsuro*; XIII 86, 2 BC *cortice deposito*] A *c. deposita,* ubi recensiones BC praebent usitatiorem dicendi rationem, qua de causa lectio a prima familia tradita per se recta hoc quoque loco calami lapsu facta esse potest.

Sed porro pergamus. Iam Friedlaenderus commemorat, litteras e et i commutatas esse in primae familiae libris[1]). Et multis exemplis id quod ille vir doctus affirmat ostendere atque illustrare possumus. Incipiamus ab illis locis, ubi medio in verbo hae litterae commutantur[2]): II 21, 2 BC *elige*] T *elege*; V 51, 6 BC *exprimere*] T *expremere*; VII 37, 3 B *exprimeret* (C *exprimere*)] T *expremeret*; 93, 4 BC *detinuisse*] T *detenuisse*; X 102, 2 BC *philinus*] T *filenus*. Contra i pro e invenimus hic: V 76, 1 BC *profecit*] A *proficit*; XI 84, 14 BC *uetuli*] T *uituli*; XIII 33, lem. B *Trebulani* (C *Treblani*)] A *Tribulani*; 33, 1 B *Trebula* (C *Trebla*)] A *Tribula*; 127, 2 BC *ueris*] A *uiris*; XIV 7, 2 BC *delebis*] A *delibis*[3]); 217, 2 BC *decipit*] A *decepit*. Praecipue ante ll vel lv hae litterae immutantur, ut his locis[4]): VII 36, 6 BC *stella*] T *stilla*; XIII 96, 2 BC *silvia*] A *selvia*. Adiungo XIII 93, 1 BC *diomedeis*] T *diomedus,* quod e *diomediis* corruptum esse Lindsayus rectissime coniecit[5]); *diomediis* autem pro *diomedeis* scriptum esse apertum est, quoniam litterae e et i ante vocales saepe similis pronuntiationis causa mutatae sunt[6]). Saepissime autem hae litterae in extrema syllaba confunduntur. Qua re quamquam interdum rectae verborum formae efficiuntur, tamen eas ad errores revocandas esse apparet plerumque inde, quod pessime quadrant in sensum vel ceterorum verborum perpetuitatem. In primis

1) Cf. praefationem editionis p. 73.

2) Schuchardt accurate de his confusionibus disseruit Vocal. des Vulgl. II 1—43; 69—80.

3) Quod Lindsayus restituit e lectionibus corruptis codicum R et T; cf. criticam adnotationem.

4) Cf. Schuchardt, Vocal. des Vulgl. II 52.

5) Cf. criticam adnotationem. Schneidewinus hoc loco codicis T lectionem legit *diomediis*.

6) Schuchardt, Vocal. des Vulgl. II 37 huius modi exempla collegit.

it pro et aut et pro it invenimus[1]); cf. III 4, 1 BC *requiret*] T *requirit* (sed *dicet* v. 2, *rogabit* v. 3!); IV 27, 5 BC *conrodit*] R *conrodet* (sed *negat* v. 2!); VI 32, 2 B *posset* (C *posse et*)] T *possit* (sed *dubitaret* v. 1!); VI 25, 2 BC *tegit*] T *teget*; X 19, 2 BC *spondet*] A *spondit*; XIV 177, 1 BC *elidit*] T *elidet* (sed *respicit* eodem versu!). Addo etiam sequentes locos: I 88, 8 BC *uiuet*] A *uiuit*; X 85, 7 B *posset* (C *posse*)] A *possit*. Ubi porro syllabae es et is permiscentur habes haec exempla[2]): VII 54, 7 BC *aues*] T *auis*; XIII 91, lem. BC *Acipensis*] T *Acipenses*; XIV 24, 1 BC *crines*] T *crinis*; 38, lem. BC *fasces*] T *facis*; 39 lem. B *cubicularis* (C *cubicularia*)] T *cubiculares*; videas porro IX 92, 11 BC *uomis*] T *uomes* (sed *lingis* eodem versu!); XIII 70, 2 BC *potes*] R *potis*; IV 88, 8 BC *posses*] T *possis*. Etiam cum littera i in verborum exitu exstabat, interdum similiter atque e pronuntiabatur[3]), cuius rei inveni haec testimonia: XI 56, 7 BC *qui*] T *que*; XIV 170, 1 BC *illi*] T *ille*; XIII 33, 2 BC *leui*] A *leue*.

Commemoranda deinceps videntur mihi exempla, ubi litterae o et u immutantur, quas simillime elatas esse constat[4]). Plerumque u in ultima syllaba ante s transiit in o, cuius immutationis haec exempla inveniuntur[5]): I 65, 3 BC *ficus*] A *ficos,* quae confusio eo facilius committi potuit, quod hoc epigrammate utraque forma *ficus* et *ficos* in vicem usurpatur; VII 88, 7 BC *tagus*] T *tagos*; X 5, 4 BC *ultimus*] T *ultimos*; XIV 199, 2 (B *equis*) C *equus*] T *equos*. Haud varo o ante rb pro u exstat, ut in his exemplis[6]): IV 71, 1 BC *urbem*] A *orbem*; VI 80, 4 BC *urbis*] A *orbis,* quas lectiones librarii menda esse vel inde facillime cognoscitur, quod non solum sensui, sed etiam adiectivorum formis femininis *totam* (IV 71, 1) et *tuae* (VI 80, 4) repugnant. Adiungo nunc reliqua exempla: XIV 54, 1 BC *plorator*] T *ploratur*[7]); XII 64, 1 BC *comaque*] T *cumaque*[8]); X 23, 3 BC *tutos respicit annos*] A

1) Cf. Schuchardt, Vocal. des Vulgl. II 45 sq.

2) Cf. Schuchardt, Vocal. des Vulgl. II 43 sq.; 48; 49; 82 sq.

3) Cf. Schuchardt II 80 sq.

4) Schuchardt II 91—149 pertractavit exempla, ubi u pro o exstat; II 149—191, ubi o pro u exstat.

5) Cf. Schuchardt II 168 sq.

6) Cf. Schuchardt II 175.

7) Cf. Schuchardt II 100 sq.

8) Cf. Schuchardt II 110.

totos r. a. Fortasse putaverit quispiam hanc primae familiae esse veram lectionem, cum praebeat sensum qui optime ferri possit. Quoniam autem ex exemplis modo enumeratis vidimus, quam facile o et u confundi possent, equidem ut hoc quoque loco recensionis A lectionem ad librarii errorem referendam esse credam maxime adducor [1]).

Sed pergamus atque transgrediamur ad litterarum u et i permutationes [2]). Facillime i ante m in u transiisse demonstratur his locis [3]): I 70, 13 BC *limen*] T *lumen*; X 14, 7 BC *limina*] T *lumina.* Ante c porro pro i habes u his exemplis [4]): X 25, 6 BC *dicere*] T *ducere*; XI 21, 11 BC *dicor*] T *ducor.* Ultima in syllaba ante s hae litterae commutantur sequentibus locis: IX 68, 5 BC *percussis*] T *percussus*; XI 39, 2 BC *adsiduusque*] T *adsiduisque*; 43, 10 BC *leuis*] T *leuus*; XII 53, 4 BC *magnus*] T *magnis*; XIV 182, 1 B *prometheus* (C *promethei*)] T *prometheis* [5]).

Neque solum vocales litterae tam varium in modum pronuntiabantur, unde hi errores acciderent, sed etiam singularum consonantium simili pronuntiatione librarii ad peccandum adduci solebant.

Ac primum litterae r et l confunduntur his locis: II 51, 6 BC *uorat*] R *uolat*; IX 35, 3 BC *aula*] T *aura* [6]).

Consonantes d et l porro mutua ratione positas esse sequentibus locis probatur [7]): XII 21, 1 BC *salonis*] T *sadonis*; 25, 4 BC *coliculis*] T *codiculis*; XIII 73, lem. BC *Numidicae*] R *Numilicae.*

His quos nunc addam locis in prima familia pro syllaba *bit* traditur *uit,* scilicet propter similem pronuntiationem consonantium u et b [8]): VI 44, 6 BC *propinabit*] T *propinauit*; XI 34, 4 BC *ce-*

1) Schuchardt, Vocal. des Vulgl. II 160 sq. collegit exempla, ubi ante t pro u exstet o.

2) Cf. Schuchardt II 191—208; 218—243.

3) Cf. Schuchardt II 224 sq.

4) Cf. Schuchardt II 228—231.

5) Contra scripturae tantum menda mihi videntur esse haec: I 88, 3 BC *pario*] T *paruo;* VI 44, 1 BC *iocari*] T *uocari.*

6) Cf. Ernestus Weissbrodt, De r et l consonantium latinarum mutua ratione praecipue e glossariis latinis illustranda (in Commentationes Philologae Ienenses 6, 2); adde Schuchardt, Vocal. des Vulgl. I 136—139.

7) Cf. Schuchardt I 142.

8) Cf. Schuchardt I 131.

nabit, habitabit] T *cenauit, habitauit*; XIV 42, 1 BC *praestabit*] A *praestauit*; d et t commutantur hic [1]): II 64, 1 BC *dum te*] T *tum*; IX 60, 6 B *putet* (C *putat*)] T *pudet.*

Satis multa deinceps exempla occurrunt, ubi litterae t et s mutua ratione usurpantur, praesertim cum in verborum fine exstent. Quas mutationes hic adiungendas existimo, quia has litteras in verborum exitu tam tenuiter atque leviter elatas esse constat, ut non modo difficillime aure discernerentur, sed etiam saepissime omnino non perciperentur [2]). Videas exempla: XI 46, 1 BC *arrigis*] T *arrigit*; 55, 4 BC *facias*] T *faciat*; 86, 3 BC *iubet*] T *iubes*; XII 53, 2 BC *habet*] T *habes*; XIII 2, 10 BC *uenis*] T *uenit*; 57, 1 BC *ridebis*] R *ridebit*; 75, 1 BC *turbabis*] A *turbabit*; 105, 1 BC *dederis*] T *dederit*; XIV 52, 2 (B *putabis*) C *putabas*] T *putabat*; 66, 1 BC *poteras*] T *poterat*; 215, 2 BC *praestas*] T *praestat.* Medio in verbo porro t et s fere numquam confunduntur, nisi littera i sequitur, ut VIII 11, 6 BC *sensit*] T (A?) *sentit* [3]). Utrum denique XIV 142, 2 codicis T lectio: *suo* pro *tuo* pronuntiationi debeatur an librarii errori, mea sententia diiudicari vix potest.

Confusae pronuntiandi rationi etiam sequentes errores deberi videntur: IX 70, 4 BC *maderet*] T *maneret* [4]); 71, 2 BC *lanigeri*] T *lanigeni,* et X 48, 19 BC *uinum*] T *uirum* [5]); XII 31, 6 BC *gerit*] T *ierit,* et XI 18, 2 BC *maius*] T *magis* [6]). Difficiliores cognitu sunt ei errores, ubi uno in verbo duae vel tres litterae permutatae sunt, ita ut vera forma saepissime tenuiter tantum perluceat, ut his exemplis: III 31, 2 B *urbanique tenent praedia multa lares,* C omisit hoc epigramma] A *albanique t. p. m. l.*, quam lectionem ad errorem referendam esse censeo, quia litteras l et r atque u et a facillime confundi potuisse satis constat. V 34, 8 BC *blaeso*] A *blesso*; VI 47, 2 BC *laberis*] T *lauaris*; XI 39, 13 BC *trientes*] T *triantis*; 49, 2 BC *despolies*] A *dispolias*; 76, 1 BC *paete*] T *pede*; 84, 10 BC *poscet*] A *pascat*; XIII 2, 9

1) Cf. Schuchardt, Vocal. des Vulgl. I 125—127.

2) Eandem ob causam etiam saepe accidit, ut hae litterae omitterentur, de qua re postea agam (cf. p. 16).

3) Cf. Schuchardt I 153.

4) Cf. Schuchardt I 142.

5) Cf. Schuchardt I 140.

6) Cf. Schuchardt I 69 sq.

BC *candidus*] T *conditus*; XIV 184, 2 BC *condita*] A *candida*; 43, 2 B *parcos* (C *parcus*)] T *parthos*.

His quos enumeravi locis licuit videre librarium primae familiae a vera lectione aberrasse ad haec menda adductum sive confusa pronuntiandi ratione sive singularum litterarum similitudine. Non semper autem tam facile intellegitur, utri rationi singula menda debeantur; quam ob rem eis quae nunc addam exemplis mittamus quaerere, utrum a litterarum simili forma an pronuntiatione errores repetendi sint. Atque id eo magis omittere posse mihi videor, quia hac tota in quaestione omnino non est gravissimum inquirere, cuius modi origini singuli errores debeantur, sed tantum statuere, utrum prima classis peculiares lectiones an menda exhibeat. Pergamus igitur atque enumeremus quae supersunt litterarum permutationes.

Interdum litterae a et u immutantur, quod docent haec exempla[1]: XIII 17, 1 BC *pallentes*] T *pullentes*; 92, 2 B *mattea* (C *attia*)] A *muttea*; XIV 107, 1 B *satyri* (C *saturus*)] T *suyri*. Non dubito etiam sequentes locos hic adiungere: II 40, 6 B *condantur* (C *condatur*)] A *conduntur*, quod non est aptum coniunctivo *saccentur* versu antecedente; XII 2, 17 BC *legantur*] T *leguntur*; 2, 18 BC *clamabunt*] T *clamabant*; XIII 15, 1 BC *coluntur*] T *colantur*; XIV 8, 2 BC *cupiant*] T *capiunt*; 59, 1 BC *capiunt*] T *cupiunt*; X 75, 7 BC *transierant*] T (A?) *transierunt*.

Inveniuntur deinceps exempla, in quibus litterae a et i confunduntur[2]) IV 61, 13 (B *male*) C *mali*] T *mili*; XIII 31, 2 BC *massa*] T *missa*; XI 94, 4 BC *conpilas*] T *conpilis*; IX 40, 4 BC *illam*] T *illim*; XI 34, 2 BC *adeo*] T *ideo*; VIII 33, 5 BC *an*] T *in*; XIV 38, 1 BC *chartis*] T *chartas*; addo II 66, 6 BC *tangat*] T *tangit*; X 75, 2 BC *erat*] T *erit*; XIV 171, 2 BC *erat*] T *erit*. Hic denique commemorandum esse puto XIV 201, 1 ubi in prima familia exstat: *non amo, quod vincat, sed quod succumbere novit;* ceteri omnes libri pro *uincat* exhibent *uincit*. Quamquam omnes editores primae classis lectionem ceteris praeferunt, mihi tamen

1) Similes locos collegit Hessels, An eight-century Latin-Anglo-Saxon Glossary, praef. XXII et XXXVIII.

2) Has litteras etiam aliis in libris commutatas esse cognoscas e collectionibus, quas Hessels attulit libro modo commemorato praef. XXII et XXX.

cum BC *uincit* scribendum esse videtur, quia et litteras a et i facile confundi posse exemplis antecedentibus manifestum est et verbis sequentibus *novit* (v. 1) et *didicit* (v. 2) *vincit* exigitur, non *vincat*.

Etiam litteras o et i permutatas esse nonnullis locis comprobatur[1]). Cuius peccandi generis initium ducamus ab eius modi exemplo, quod, etsi non ad hanc ipsam quaestionem spectat, tamen clarissime doceat, quam facile hae litterae confunderentur. XIII 72, 1 enim codex R falsissime praebet *Argia*, cod. T autem recte *Argoa*. Quoniam autem ex hac codicis T recta lectione concludendum est etiam in archetypo *Argoa* exstitisse, non est negandum codicis R lectionem *Argia* errori deberi. Haec sunt alia huius modi exempla: IV 77, 4 BC *subiti*] T *subito*; VI 10, 9 BC *nostri*] T *nostro*; IX 66, 2 BC *quo*] T *qui*; X 41, 1 BC *nouo*] T *noui*; XII 31, 5 BC *clusis*] T *clusos*; XIV 109, 2 BC *digitos*] T *digitis*; addo etiam IX 68, 9 BC *uicini*] T *uicino*.

e pro u porro prima in familia invenimus his locis[2]): XIV 51, 1 BC *curuo*] T *ceruo*; X 88, 1 B *praetorum* (C om.)] R *praetorem*; IX 7, 3 BC *ut*] T *et*.

II 30, 3 deinceps codex T exhibet *uerusque sodalis* pro *uetusque s.*, quam lectionem rectam esse putares, nisi alio quoque loco litterae r et t commutatae essent; cf. XI 21, 3 BC *rota*] T *rora*[3]).

c pro s exstat III 11, 2 BC *esse*] A *ecce*; XI 16, 6 BC *sis*] T *sic*[4]).

Quas adhuc attuli litterarum permutationes multis aut compluribus exemplis illustrantur ob eamque rem facile librarii errores agnoscuntur. Atqui reperiuntur discrepantiae primae familiae, quae quamquam semel tantum occurrunt, tamen nihil nisi menda videntur esse; cf. exempla: I 73, 2 BC *Caeciliane*] A *meciliane*; III 4, 3 B *rogabit* (C *rogauit*)] A *rogarit*; 68, 10 BC *proba*] T *prooa*; IV 26, 4 BC *ignosces*] T *ignoscen*; 37, 9 BC *refice*] T *retice*; VI 61, 10 BC *genium*] T *senium*; IX 14, 1 BC *Hunc*] R *Nunc*; 35, 11 BC *tuas*] T *quas*; X 90, 4 BC *nam*] T *iam*; XI 34, 1 BC *Aedes*] T *Sedes*; XIII 33, 2 BC *domamur*] A *domanur*; 65,

1) Cf. etiam Hessels libro supra commemorato praef. XXX et XXXIII.
2) Cf. Hessels libro supra commemorato XXVI et XXXVIII.
3) Cf. Hessels libro supra commemorato XXXVI et XXXIV.
4) Cf. Hessels libro supra commemorato XXIII et XXXV.

1 BC *rarissima*] A *carissima*; XIV 160, 2 BC *emit*] T *erit*; 202, 2 BC *foret*] T *forem.*

Adiungo eius modi errores, ubi uno in verbo duae vel tres litterae permutatae sunt. I 70, 7 BC *colossi*] T *coloris*; 85, 5 BC *frui*] T *frigi*; II 8, 1 BC *chartis*] R *phastis*; 11, 1 BC *selium*] T *sillum*; III 95, 2 BC *prior*] A *prius*; VII 61, 10 BC *est nuper*] T *ero nue*; IX 37, 5 BC *facies*] T *faceas*; X 42, 5 BC *inpressi*] T *inpensi*; 68, 6 BC *ciuis*] T *iouis*; 101, 2 BC *uetus*] T *uotas*; XI 44, 3 BC *uerae*] T *iure*; 56, 1 BC *chaeremon*] T *dieremon*; 71, 1 BC *dixerat*] T *differat*; 58, 4 BC *multa*] T *nulla*; XII 50, 5 BC *fugax*] T *sugat*; 61, 10 BC *carmina*] T *crimina*; 94, 3 BC *ad*] T *ut*; XI 16, 8 BC *uda*] T *und*; XIII 23, lem. B *Chiae* (C *Chia*)] T *Ciuiae*; 39, 1 BC *pecus*] T *petas*; 46, 1 BC *uilia*] A *uella*; 67, 2 BC *salax*] R *palux*; 102, 1 BC *primo*] T *prono*; 105, 1 B *siculos* (C *siculis*)] T *figulos*; 118, 2 BC *uina*] T *brena*; XIV 26, lem. (B *sapo*, cf. 27) C *crines*] T *criiges*; 50, 1 BC *lutet*] T *locet*; 123, 1 BC *elabitur*] T *flauetur*; 137, 2 BC *focale*] T *focelle*; 139, 1 BC *Nobilius*] T *Nouillus*; 157, 1 BC *lanas*] T *lunae.* Fortasse hic commemorandae sunt etiam sequentes variae lectiones, quamquam confiteor eas non esse eadem evidentia et perspicuitate atque antecedentes: II 37, 11 BC *uocaui*] T *uocabo* (u = b; i = o?); XIV 137, 2 BC *adserat*] T *adseris* (a = i; t = s?).

Disserenti autem de litteris permutatis mihi non praetereundos esse existimo illos locos, ubi librarius eiusdem verbi duas litteras ita transmutavit, ut alteram e sequente syllaba in antecedentem transferret eiusque loco alteram ex antecedente poneret. Quem in modum vocales duarum syllabarum his locis transmutatas esse invenimus: XI 32, 5 BC *nestor*] T *noster*; XII 90, 6 BC *maro*] T *mora*; XIII 60, 1 BC *effosis*] T *offensis* (quo loco scriba errans praeterea n pro s scripsit); eodem modo prima quaeque littera consonans duarum syllabarum commutatur his exemplis: III 30, 3 BC *togula*] T *getula,* ubi praeterea o in e corruptum est (togula — gotula — getula); III 93, 17 BC *regelare*] T *relegare.* Simillimae sunt etiam hae transmutationes: III 91, 9 BC *senem*] T *semen*; XI 94, 8 BC *anchialum*] T *anchalium*; XIII 37, 1 B *corcyraei* (C *corcyrae*)] T *coricei.* Restat, ut hic commemorem nonnullarum vocularum confusiones, quae, quoniam iterum atque saepius in his libris manuscriptis reperiuntur et plerumque pessimum sensum praebent, certissime ad librarii neglegentiam sive

pronuntiandi sive scribendi revocandae sunt. Atque primum quidem appendiculae que et ue — ut perlustremus nunc singula exempla — mutua ratione usurpantur his locis: II 41, 20 BC *lugentique*] A *lugentiue*; BC *piumque*] A *piumue*; III 45, 5 BC *mullumue*] A *mullumque*; VIII 64, 3 BC *quattuorue*] T *quattuorque* (sed *tresue* eodem versu!); X 5, 1 BC *purpuraeue*] T *purpureque*; XIV 131, 1 B *prasinusue* (C *prasino*)] T *prasinoque.* Saepe deinceps in primae familiae libris pro *quid quod* vel pro *quod quid* invenimus; quae permutationes utrum inde ducendae sint, quod hae voculae similiter efferri solebant, an quia similibus compendiis notabantur an litteris o et i immutatis, non semper discerni potest, ut mihi quidem videtur. Quin autem librarii cuiusdam neglegentiae debeantur dubium non est. Haec sunt exempla: III 90, 2 BC *quid*] R *quod*; IV 27, 3 BC *quid quod*] R *quid quid*; VI 63, 2 BC *quid*] T *quod*; VII 10, 15 BC *quod*] R *quid*; IX 46, 4 BC *quidlibet*] R *quodlibet*; XI 23, 4 BC *quid*] T *quod.* Item porro vocularum *qui* et *quid* confusiones ad librariorum neglegentiam quandam revocandam esse censeo. Sequentibus enim locis exstat in prima recensione *qui* pro *quid*: II 7, 8 BC *quid*] R (A?) *qui*; IV 18, 7 BC *quid*] T *qui*; VI 64, 24 (B *quis*) C *quid*] T *qui*; VIII 3, 12 BC *quid*] T *qui.* Contra *quid* pro *qui* invenimus his locis: I 40, 1 BC *qui*] R *quid*; II 87, 2 BC *qui*] R *quid*; VIII 31, 2 BC *qui*] T *quid.* Enumero denique hic illa exempla, ubi *quo* et *quod* confundantur. IX 25, 3 codex T affert *quo* pro *quod,* sequentibus locis autem *quod* pro *quo*: II 66, 3; V 53, 2; IX 17, 6; X 15, 9.

Sed de his litteris et verbis transmutatis satis nunc disseruisse mihi videor; perspicuum est enim ex exemplis allatis incredibilem fere numerum mendorum ad huius modi permutationes revocandum esse. Quae nunc addam menda sunt diversi generis. Omisit enim saepissime librarius sive unam tantum litteram aut syllabam, sive complures litteras aut syllabas; quin etiam interdum desunt complura verba in primae classis contextu. Quae peccata qua de causa quoque modo librarius commiserit, quamquam nonnullis locis indagare possumus, plerisque tamen exemplis nihil nisi librarium peccasse statuere possumus. Quis enim hodie accuratissime quibuscumque rebus neglegentia librarii mediaevalis mota sit, exponat?

Saepissime littera s in verborum fine, quia non satis clare pronuntiabatur, etiam in scribendo praetermissa est[1]); cf. II 82, 2 BC *nescis*] T *nesci*; III 18, 2 B *excussaris* (C *exuraris*)] T *excussare* (e pro i); VIII 67, 10 BC *uenis*] R *ueni*; XI 23, 12 BC *tuis*] T *tui*; 29, 8 BC *digitis*] T *digiti*; XII 21, 2 BC *quis*] T *qui*; XIII 2, 1 BC *sis*] T *si*; XIV 1, 7 BC *istis*] T *isti*; 116, 1 BC *marsis*] T *marsi*; 168, 1 BC *das*] T *da*. Videas etiam VI 64, 20 BC *nasisque*] T *nasique*; II 41, 10 BC *spanius*] T *panius*.

Nonnullis locis etiam littera t in vocabulorum exitu desideratur[2]); cf. II 64, 8 BC *potest*] T *potes*; XIII 1, 5 BC *depugnat*] T *depugna* (an deest hoc loco t, quia haec littera etiam primo loco sequentis verbi exstat?); 117, 2 BC *potest*] T *potes*; sed etiam medio in verbo omissa est haec littera, cf. III 93, 18 B *ducentas* (C *ducentes*)] T *ducenas*; V 16, 13 B *dixti* (C *dicti*)] T *dixi*; XI 58, 9 BC *tuta*] T *tua*.

Addo nunc reliqua exempla, ubi in prima familia librorum una tantum littera aut confusae pronuntiandi rationis aut calami lapsus causa omissa est. I 3, 12 et I 42, 6 prima classis omisit voculam i initio versus; c porro desideratur his locis II 40, 6 BC *fusca*] A *fusa*; IV 45, 7 BC *sic*] T *si*; VII 6, 8 BC *inuictusque*] A *inuitusque*; r deest sequentibus locis: I 43, 10 BC *armato*] T *amato*; IX 60, 1 B *aruis* (C *aures*)] T *auis*; 71, 4 BC *carpit*] T *capit*; XI 76, 4 BC *perde*] T *pede*; XIV 119, 1 BC *uerna*] T *uena*; reliqua denique huius modi peccata sunt haec: I 83, 1 (B *mannella*) C *manneia*] T *maneia*; IV 5, 10 B *Philomelus* (C *Philomerus*)] T *Philomeus*; VI 10, 3 BC *sed*] T *se*; VII 19, 5 BC *sed*] T *et*; VIII 21, 12 BC *derit*] T *erit*; 55, 1 BC *cum*] T *ci*; IX 31, 8 BC *alitis*] T *altis*; XI 68, 2 BC *leuius*] T *leuis*; XIV 1, 4 BC *uideat*] T *uidat*; 52, lem. BC *corneus*] T *cornus*; 78, 2 B *paccius* (C *pacius*)] T *accius*.

Hos porro habes locos, ubi complures litterae eodem in verbo desunt: III 65, 1 BC *spirat*] T *srat*; VI 64, 8 BC *quibus*] A *quis*; XIV 203, 1 BC *prurit*] T *puri*.

Praetermissas esse deinceps in primae classis contextu etiam totas syllabas cognoscere liceat ex exemplis quae nunc adiungam.

1) Cf. ad hanc rem ea quae Corssen (Ueber Aussprache, Vocalismus und Betonung der lateinischen Sprache) disseruit I 285—294.

2) Cf. Schuchardt libro supra commemorato I 118 sq.

Ac primum afferam eius modi locos, quibus mendorum originem indagare possimus. Nam si eadem syllaba bis eodem in verbo exstabat, facile fieri potuit, ut librarius alteram omitteret, ut hisce exemplis: VI 63, 6 BC *piscis*] T *pis*; XIII 17, lem. (B *coliculorum*) C *coliculi*] T *coli*; XIV 219, lem. BC *cor bubulum*] T *corbulum*; II 85, 4 BC *quereris*] T *queris*; VIII 27, 2 BC *morere*] T *more*; XI 39, 9 BC *quereris*] T *queris*[1]). Sed etiam cum duabus in syllabis eadem vocalis inerat, accidere potuit, ut librarii oculi ab antecedentis syllabae vocali littera aberrarent ad sequentis vocalem, unde litterae his vocalibus inclusae omitterentur. Sic IX 70, 7 codex T exhibet *dum* pro *ducum*, quia librarius a littera u prioris syllabae ad eandem litteram sequentis syllabae prolapsus est, quod etiam his exemplis accidisse mihi videtur: III 3, 4 BC *tunicata laua*] T *tunica laua*; IV 49, 6 BC *pascentem*] T *parcem*; XIII 99, 2 BC *iactatis*] T *lactis* (l = i); XIV 150, lem. BC *cubicularia*] T *cubicula*; XIV 169, 1 BC *garrulus*] T *carrus*.

Sequantur nunc reliqua huius modi peccata, quorum originem explorare saepius supra nostram sagacitatem esse existimo. Quam ob rem ea tantum enumeremus. — Ultima syllaba deest in primae familiae libris his locis: II 77, 5 BC *disce*] T *dis*; IX 17, 3 BC *domino*] T *domi*; 32, 2 BC *dedit*] T *de*; 35, 1 BC *semper*] T *sem*; X 48, 23 BC *loquatur*] T *loquar*; XI 76, 3 (B *carmina*) C *crimina*] T *crimi*; XIII 21, 2 BC *gratior*] T *grati*; XIV 140, 2 BC *exue*] T *ex*. — Nonnullis deinceps locis prima syllaba praetermittitur: I 38, 1 BC *recitas*] R *citas*; VIII 52, 6 BC *repetit*] T *petit*; VIII 53, 8 B *daret* (C *dare*)] T *ret*; IX 25, 9 BC *teneros*] T *neros*; 66, 2 BC *natorum*] T *torum*; 37, 5 BC *tecum*] T *cum*; X 47, 13 BC *metuas*] T *tuas*. — Sequantur denique loci ubi medio in verbo syllaba desideratur: XII 68, 3 BC *causidicus*] T *caudicus*; XIV 11, 2 BC *uocare*] T *uore*; 67, lem. B *Pauoninum* (C *Paonina*)] T *Pauonum*; 157, lem. BC *Pollentinae*] T *Pollinae*.

Persaepe etiam librarii eo neglegentiae progressi sunt, ut tota verba omitterent. Qua ratione autem haec vitia facta sint, paucis tantum locis conicere licet, ut I 63, 1, ubi codex R pro *nostra rogas* exhibet *nostras*, quia librarius — ut mihi quidem videtur — in describendo a littera a verbi *nostra* transiit ad a sequentis verbi *rogas*, ita, ut quodcumque inter has litteras exstaret, omitteretur.

1) Cf. G. Friedrich, Hermes XLIII p. 621.

Idem mihi factum videtur V 37, 5 B *iudicae dentem* (C *iudicae gentem*)] T *iudicentem*; addo hic etiam III 34, 2, ubi in codice T vocula *et* praetermissa est, fortasse quia erat inclusa duabus similibus voculis *es* ita: *es et es*. Si denique verbum antecedens in fine easdem habebat litteras aut eandem syllabam atque sequens, non est mirum unum de his verbis praetermissum esse; cf. XII 39, 4 T om. *belle*, quia antea exstat *Sabelle*; XIV 205, 2 T om. *puella*, quia antea est *nulla*; XI 16, 10 T om. *brute*, quod antecedit *bruto*.

Qua de causa autem verba sequentia in primae familiae contextu desint, non licet accuratius explanare, quamquam dubitari non potest, quin haec menda librarii neglegentiae attribuenda sint. Videas I 29, 4 T omisit *hoc*; 68, 1 T o. *nisi*; 70, 15 T o. *quam*; 90, 5 T o. *fateor*; 90, 7 T o. *se*; 115, 4 T o. *sed*; 116, 3 T o. *suis*; II 36, 1 R o. *sed*; 46, 9 T o. *erat*; IV 18, 8 T o. *est*; 26, 2 T o. *quantum*; V 19, 7 T o. *hoc*; 37, 7 T o. *uellus*; 49, 7 T o. *pilus*; VI 77, 1 T o. *nec*; VII 2, 3 R o. *ad*; 12, 12 T o. *liber*; 19, 1 T o. *et*; 33, 2 T o. *tibi*; 92, 9 T o. *est*; 94, 2 T o. *est*; VIII 27, 2 R o. *ait*; IX 7, 5 T o. *dabant*; 14, 3 R o. *et*; 32, 3 T o. *alter*; X 48, 9 T o. *est*; 82, 5 T o. *si*; 85, 3 T o. *cum*; XI 8, 11 T o. *omnia*; 58, 5 T o. *cum*; 81, 3 T o. *hic*; 84, 16 T o. *et*; XII 90, 6 T o. *nota*; XIII 16, 2 T o. *esse*; 41, lem. B *lactans* (C *lactens*)], A o. *lactans*; 78, 1 B *gigantis* (C *cicadis*)] A o. *g.*; 102, 1 T o. *de*; 114, 1 T o. *de*; 126, 2 T o. *tibi*; 127, 2 A o. *erat*; XIV 22, 1 T o. *si*; 25, 2 T o. *dente*; 43, 1 T o. *nobis*; 58, 2 T o. *es*; 59, lem. B *opobalsamum* (C *opobalsama*)] T o. *opob.*; 62, 1 T o. *me*; 74, 2 T o. *intrauit*; 77, lem. T o. *eborea*; 143, 1 T o. *multa*; 111, 1 B *franges* (C *frangere*)] T o. *fr.*; 155, 1 T o. *primis*; 157, 2 T o. *terra*; 164, 1 T o. *disci*; 175, 1 B *damnae*, C *dianae*] T o. *d.*; 176, lem. T o. *Germana*; 180, lem. T o. *picta*; 222, lem. T o. *dulciarius*, R o. totum lemma. — Complura denique verba eodem versu desiderantur; cf. I 99, 7 T o. *hoc tibi*; III 30, 2 T o. *quid Romae*.

Sed de hoc genere errorum satis disputatum videtur esse; age vero nunc aliam lapsus speciem afferamus, quae cum illa, quam modo absolvimus, cognationem quandam habet. Ut enim litterae prima in recensione omissae sunt, ita etiam additae atque id nonnumquam eisdem de causis. — In primis mihi hic, — ut singula exempla afferam — commemorandum videtur litteram t,

quam propter levem atque indiligentem pronuntiationem saepissime omissam esse supra vidimus[1]), ob eandem rem etiam nonnumquam appositam esse. Quod illustretur sequentibus exemplis: I 73, 4 BC *es*] T *est*; II 53, 2 BC *potes*] T *potest*; V 82, 4 BC *es*] A *est*; IX 48, 9 BC *haesi*] T *haesit*. Medio in verbo littera t additur VIII 20, 1 BC *ducenos*] T *ducentas*.

Item porro litteram s non solum omissam[2]), sed etiam adiectam esse sequentibus exemplis comprobatur: I 12, 4 BC *uicina*] T *uicinas*; X 47, 5 BC *quieta*] T *quietas*; 68, 2 B *uico* (C om.)] T *uicos*; 81, 3 BC *utrique*] T *utrisque*; XII 21, 1 BC *rigidi*] T *rigidis*; XII 35, 3 BC *credi*] T *credis*; XIV 69, 1 B *famuli* (C *fabuli*)] T *famulis*.

Sed etiam aliis rationibus huiusmodi menda debentur. — Atque exemplis quae nunc sequantur factum est, ut librarius primam litteram consonantem sequentis verbi in fine antecedentis iteraret; cf. I 48, 6 C *cavea* (B *caveae*)] T *caveat*, quia sequitur *tantum*; I 92, 2 BC *tangi*] T *tangis* propter sequens *se*; XI 71, 1 BC *se*] T *sed*, propter sequens *dixerat*; XIV 79, 1 B *lasciui sed* (C *lasciuis et*)] T *lasciuis sed*; addo etiam III 80, 1, ubi T pro *nulli* exhibet *nullum*, quia sequitur *maledicis*, litteris i et u praeterea commutatis. Contra littera ultima praecedentis verbi initio sequentis iteratur XII 61, 8 ubi B *ebrium* tradit (C *ebriumque*)] T *serbium*, quia antea exstat *fornicis*.

Occurrunt deinceps nonnullae variae lectiones, quae mihi inde factae videntur, quod librarius neglegens pro rariore verbo usitatius scriberet unam addens litteram. Quod optime licet cognoscere I 42, 1, ubi prima recensio pro *fatum*, quod ceterae familiae recte exhibent, scribit *factum*. Librarii oculi enim formae usitatiori magis assueti atque neglegenter super huius verbi litteras labentes facile *factum* pro *fatum* legere poterant; cf. etiam I 51, 5. Eadem de causa porro cod. T VII 37, 1 pro *nosti* scripsisse videtur *nostri*; adde IX 35, 8 BC *eat*] T *erat*; XIV 32, 1 BC *omen*] T *omnem*; XIV 52, lem. (B *scutus*) C *gutus*] T *gustus*.

Sequantur nunc reliqua exempla, ubi recensionen A tantum menda exhibere perspicue apparet inde quod omnes lectiones plane carent sensu; cf. III 11, 1 BC *si*] R *sic*; IV 10, 3 BC *i*]

1) Cf. p. 16.
2) Cf. p. 16.

R *in*; XIII 84, lem. BC *scarus*] T *scarpus*, quamquam primo versu codex T etiam *scarus* offert; XIV 173, 1 BC *flectit*] T *flectite*. Contra metri leges denique est VII 90, 3 *caluianus* pro *caluinus*. — Quin etiam totam syllabam appositam esse invenimus XIV 78, 1, ubi codex T pro *narthicia* habet *narcithicia*.

Adhuc demonstratum est in prima librorum familia litteras, syllabas, verba transmutata, omissa, apposita esse variis de causis, quarum partem saltem indagare potuimus. Quae nunc addere in animo habeo huius modi peccata, repetenda sunt inde, quod in libris manuscriptis mediae latinitatis saepissime scripturae compendia usurpabantur. Tales enim notae a librariis describentibus facillime non animadverti vel falso legi vel cum aliis similibus confundi poterant, unde permulti errores facti sunt. Quae ad huius modi originem revocandae videntur variae lectiones, nunc pertractemus. Sed praemonendum esse puto tantum abesse, ut in talibus rebus semper certe, quomodo res revera se habuerit, affirmemus, ut quid probabile sit tantum suspicemur.

Littera m plerumque per lineolam rectam aut curvatam supra vocalem antecedentem adscriptam significabatur, ut exempli gratia *magnam* ita scriberetur: *magnā* vel *magnã*. Quam ob rem hanc litteram facillime praetermitti potuisse non est mirum atque multis exemplis comprobatur; cf. I 38, 1 BC *quem*] R *quae* (ae pro e); VII 40, 3 B *quem* (C *quam*)] T *que*; IX 82, 1 BC *periturum*] T *perituru*; XI 37, 1 BC *gemmam*] T *gemma*; XI 81, 1 BC *communem*] T *commune*; XI 104, 15 BC *quamuis*] T *quauis*; XIII 119 (B *Nomentana malum*) C *Nomentana meum*] T *Nomentaneum*, quod Lindsayus recte e *Nomentā eum* corruptum esse affirmat [1]); XIV 150, 2 BC *iam*] T *la* (praeterea l pro i). Contra autem, nonnumquam tali litterae compendio effectum est, ut librarius m falsissime, ubi non erat scribenda, apponeret; videas haec exempla: I 12, 1 BC *qua*] T *quam*; III 19, 2 BC *qua*] T *quam*; IX 60, 1 BC *Seu tu*] T *Scutum*; III 46, 3 BC *multo*] T *multum* (u pro o).

Littera n quoque, quia per eandem lineolam notabatur, saepius desideratur; cf. XII 57, 7 BC *hinc*] T *hic*; XIV 120, 2 BC *lingula*] T *ligula*; XI 23, 12 BC *tangantur*] T *tangatur*; XIV 167, 2 B *exornent* (C *exordent*)] T *exornet*; n autem additam esse cognoscas e I 12, 1 BC *Itur*] T *Intus* (s pro r). Hic deinceps commemoranda

1) Cf. criticam adnotationem.

mihi videtur confusio verborum *monstrum* et *nostrum*, quae exstat VIII 55, 12, ubi familiae BC rectissime exhibent *nostrum*, codex autem T *monstrum*. Quoniam enim litterae m et n lineolis tantum supra adscriptis notabantur, horum verborum sigla erant simillima.

Vocula nec nonnumquam n̊ notabatur, vocula non ñ, ad quae compendia mihi horum verborum confusiones revocandae videntur esse; cf. exempla: I 92, 13 BC *nec*] A *non*; II 51, 3 BC *non auf.*] A *nec*; XIII 1, 8 BC *nec f.*] A *non f.*; XIV 189, 2 BC *nec*] A *non*, quod Schneidewinus, Gilbertus, Lindsayus in editiones suas receperunt. Quoniam autem familiae BC consentientes exhibent *nec*, quod optime quadrat in sensum, *non* autem pro *nec* facile errore quodam scribi potuit, equidem cum Friedlaendero recensionum BC lectionem rectam putans primae familiae ad librarii errorem referri velim. — III 99, 3 cod. T praebet *non nocuos* pro *innocuos*, cum *ĩnocuos* et *innocuos* similitudinem quandam haberent, ut mihi videtur. Adiungo hic etiam III 38, 6 (B *norasse*) C *noras*] T *non oras* (ñoras).

Syllaba per deinceps hac nota excipiebatur: *p*, unde apparet, cur codex T IX 68, 8 pro *parmae* offerat *per armae*.

Vocis *est* siglum erat ē, qua notandi ratione fieri potuit, ut I 20, 1 in codice R pro *furor est* exstet *furorem*; syllabam *em* enim etiam ē notatam esse supra commemoratum est [1]). *m̓* porro usurpabatur non solum pro *mei*, sed etiam pro *mihi*, qua de causa X 45, 1 in codice T pro *mei* exstat *mihi*; *sibi* porro hoc compendio notabatur: *s̓*, quam ob rem codex T XI 71, 2 pro *sibi* praebet *si*; *s̓* autem simillimum est notae verbi sit: *s̃*, quare hae voculae permutatae esse videntur XIV 165, 2 BC *sibi*] T *sit*. Nota pronominis *tibi* erat *t̓*, quae mihi videtur causa, cur codex T IX 54, 5 exhibeat *solemnati* pro *solemne tibi*.

Syllaba *que* porro hoc compendio q; vel aliis similibus, quae omnia enumerare longum est, notari solebat. Facile autem puto esse factum, ut tales notae a librariis non animadverterentur. Quam ob rem etiam in his libris manuscriptis appendicem *que* desiderari puto; quam ad rem cf. sequentia exempla: IV 7, 3 BC *barbamque*] R *barbam*; VIII 3, 16 BC *bonusque*] T *bonus*; IX 25, 6 BC *oraque*] T *ora*; 71, 9 BC *pecudesque*] T *pecudes*; XI 22,

1) Cf. p. 20.

6 BC *praecipitantque*] T *praecipitante*; XIV 124, 1 BC *gentemque*] T *gentem.*

Sed haec missa facio; quos nunc addam errores aliunde originem ducere videntur. In scriptura enim mediae latinitatis singulae litterae eiusdem verbi nondum inter se coniungi solebant, sed parvo spatio altera ab altera seiungebantur. Inter singula verba autem paulo maius intervallum vacare solebat. Atqui fieri potuit, ut in describendo tale magnum intervallum minueretur aut in contrarium parvum augeretur, ita ut unum verbum falsissime divideretur in duo aut duo contraherentur in unum. Quodsi formam ita corruptam iterum librarius — sive idem sive alius quis descripsit, nonnumquam accidit, ut eam etiam magis sive litterarum confusionibus sive aliis erroribus corrumperet aut emendare conaretur, unde saepissime lectiones, quae nunc in his libris exstant, valde differunt a veris atque rectis.

Perlustremus nunc singula exempla, ubi primae classis lectiones huiusmodi peccatis inquinatae sunt. Ac primum afferamus illos locos, ubi unum verbum divisum est in duo; cf. I 99, 7 BC *mortes*] T *mort est*; XI 65, 5 BC *reddis*] T *sed his*; 71, 2 BC *necesse*] T *nae tense*; XII 25, 6 B *exilii* (C *exili*)] T *ex illi*; 77, 2 BC *resupinus*] T *respice nos*; XIV 193, 1 BC *ussit*] A *ut sit*; 207, 2 BC *ussit*] T *ut sit.* Multo saepius accidit, ut duo verba contraherentur in unum, quod cognoscas ex his exemplis: II 64, 7 BC *si schola*] T *discola*; III 17, 3 BC *sabidi gula*] R *sabidicula*; VII 31, 6 BC *de nostro*] T *demonstro*; 40, 6 BC *prope ter*] T *propter*; VIII 3, 13 BC *an iuuat*] T *annuat*; 6, 7 BC *hoc cratere*] T *hacratere*; IX 46, 1 BC *modo limina*] R *modolamina*; 54, 5 B *solemne tibi* (C s. mihi)] T *solemnati*[1]); 81, 3 BC *curo nam*] T *coronam*; 88, 1 BC *cum me*] B *cumine*; X 80, 4 B *miser coemat* (C *miser coema*)] T *misecemat*; XII 95, 5 B *nec thalassionem,* C *ne th.*] T *nechalassionem*; XIII 39, 2 BC *det poenas*] T *deponas*; XIV 59, 1 BC *Balsama me*] T *Balsamale*; 62, 1 BC *fuscior aut*] T *fusciorauit.* Reperiuntur etiam loci, ubi tria verba cogantur in duo, ut I 116, 5 codicis T librarius verba: *moneo ne speret* contraxit in *mones peret,* vel XIV 15, 1 *per tessara dum* in *partes serarum.* Contra duo verba in prima codicum familia divisa esse in tria, cognoscas ex

1) De syllabarum ti et tibi confusione cf. p. 21.

his locis XIV 82, 2 BC *nunc analecta*] T *non cana lecta*; 187, 2 B *pueri thais* (C *uere th.*)] T *puer et hais.*

Saepissime autem librarii peccare solebant, cum duorum verborum alteri praecedenti unam litteram vel complures verbi sequentis adderent aut in contrarium sequenti unam vel complures litteras antecedentis verbi apponerent; scilicet his quoque locis praeterea alia vitia, ut litterarum transmutationes, omissiones, appositiones accedunt. Exempla sunt haec: I 88, 7 BC *accipe care*] T *acum pecore* (-pe care = pecore); IV 35, 2 BC *fati sorte*] T *fatis arte*; VI 20, 4 BC *teque decem*] T *te quidem*; IX 85, 1 BC *paulus atili*] T *paule satili*; X 68, 3 B *deque coloratis* (C om. hanc locum)] T *de cocoleratis* (co = que); XIII 17, 1 BC *ne tibi*] T *nec ibi* (c = t); 84, 2 B *uile sapit* (C *bile*)] T *uiles ait*; 124, 1 BC *nepos ponat*] T *ne postponat*; XIV 13, 1 BC *faece locelli*] T *fictilo caeli*; 17, 2 BC *hoste perit*] T *hos fuerit*; X 90, 2 BC *tui lacessis*] T *uilla cessis.*

Age vero nunc ad aliam mendorum speciem nos convertamus! Potuit enim fieri, ut librarii ipsi se peccasse animadvertentes rectam lectionem supra adscriberent. Quibus ex adnotationibus varium in modum errores in librorum contextum irrepere potuisse nonnullis e locis colligere licet. Monendum autem puto nos etiam in his locis explanandis nihil nisi quod ad verum proxime accedat proferre posse.

Ac primum saepius littera recta pro falsa supra apposita a librario describente non in falsae locum substituta, sed iuxta falsam retentam collocata videtur esse; videas I 68, 8 BC *una*] T *uana*; quod facillime nasci potuit ex *ana*; III 44, 13 BC *peto*] T *poete,* ex *pete*; IV 4, 1 B *palus* (C *thalus*)] T *paulus,* ex *pulus*; VII 92, 2 BC *dicis*] T *decies,* e *dices* (*dicies, decies*); V 26, 4 B *beta* (C *betam*]) T *beatā,* ex *bata.* Contra litteram supra adiectam pro alia substitutam esse, quamquam erat ante illam vel post illam addenda, forsitan coniecerit quispiam ex his exemplis: II 56, 2 BC *crimine*] T *crimen,* e *crimin*; XIV 25, 1 BC *faciet*] T *facit,* e *facet*; XIV 146, 1 BC *folio*] T *filo,* e *folo.* Similiter littera supra adnotata falsum in locum pervenit fortasse his locis: XI 99, 1 BC *iam*] T *ima,* ex *im*; XII 61, 7 BC *quaeras*] T *quares,* e *quaras.*

Iam vero non solum litteras ita adscriptas, sed etiam syllabas librarius indiligens in ceterarum litterarum ordinem redigere potuit; cf. III 24, 9 BC *hirnea*] T *hircania,* fortasse ex *hirnia* (praeterea c pro e); III 93, 7 C *Niliacus* (B *Nillacus*)] T *Niliacusis,* ex *Niliacis*[1]); V 37, 7 B *crine* (C *nigre*)] T *crimine,* e *crime* (*crimene, crimine*); X 86, 3 BC *primus*] T *plurimus,* ex *plumus*; X 102, 1 BC *requiris*] T *requeritis,* ex *requerit*[2]); 102, 3 BC *dicat*] T *dicit at,* ex *dicit*[3]); XI 27, 6 BC *uoret*] T *uocaret,* ex *uocat*; XIV 10, lem. (B om. hoc lem.) C *maiores*] T *malatores,* ex *malares* (praeterea t pro i); addo XI 71, 5 BC *deserat*] T *sederat,* fortasse ex *serat.* Commemoro denique hic duo exempla, ubi tota verba, fortasse quia a librario supra adnotata erant, in ceterorum verborum contextum falsissime recepta sunt; videas VII 52, 6 BC *iudicis*] T *iudires iudicis,* ex *iudires*; XI 27, 8 BC *petit*] T *dedit petit,* ex *dedit.*

Interdum etiam verba falsa nobis occurrunt, quae librarius alio e versu vel etiam alio ex epigrammate per casum excepit oculis aberrantibus. II 45, 1 exstat in codice R *gille* pro *glypte,* quia versu sequente est *gallus,* ut Lindsayus mea sententia recte coniecit[4]); XIII 31, lem. cod. T habet *caseus lunensis* pro *caseus Vestinus,* quam vocem falsam librarium ex epigrammatis antecedentis lemmate suscepisse apparet. XIII 35, 2 BC *grata*] T *data,* certe quia sequitur *datur*; XIII 50, lem. BC *terrae tubera*] T *ficedula,* quod est lemma antecedentis epigrammatis. XIII 120, lem. T tradit *De Spolentinum* pro *Spoletinum,* fortasse quia prior versus verbis *De Spolentinis* incipit. Quae primi versus verba librarius quidam corrupit in *De Spolentinum,* quia fortasse oculi retro deflexerunt ad lemma *-tinum.* Non solum autem ex epigrammatis vicinis verba in contextum invaserunt, sed etiam e paulo longius remotis. Sic in codice T XIV 3, lem. *eburei*

1) Cf. Lindsayanae editionis adnotationem criticam in hunc locum.
2) Cf. criticam adnotationem Lindsayanae editionis.
3) Cf. criticam adnotationem Lindsayanae editionis.
4) Cf. adnotationem criticam in hunc locum.

susceptum invenimus e lemmate epigrammatis 5, XIV 135, lem. *Albaeticae* e lemmate epigrammatis 133. Quin etiam hoc modo complura verba falso loco collocari potuisse aperte videmus XIV 153, 1, ubi codex T pro: *ego te praecingere possum* (C *possim*) haec verba versus sequentis offert: *ego munus uterque darem.*

Sed quid opus est pluribus? Satis perspicuum enim videtur mihi esse, quot erroribus atque lapsibus librariorum discrepantiae huius classis debeantur. Nunc autem — quod est gravissimum — quaeramus, quid ex omnibus his corruptelis sit concludendum de primae familiae auctoritate. Possumusne ex eis colligere recensionem A emanasse ex antiquissimo archetypo, ita ut ei peculiaris vis attribuenda sit? An apparet ex eis, primam recensionem pendere ab una vel altera ceterarum vel ab utraque? Ad neutram sententiam puto nos his locis adduci posse; nam haec menda librarii exscribentes et archetypum A^A et ceteras recensiones B et C committere potuerunt; quam ob rem certe nihil dicere possumus nisi hos locos corruptos fundamentum non esse ex quo proficiscamur ad diiudicandam hanc quaestionem. Removendi igitur sunt hi loci nobisque porro est videndum, quales sint ceterae lectiones primae familiae a ceterarum diversae quidque ex illis sequatur.

II.

Non solum erroribus hi libri manuscripti inquinati erant, sed etiam maioribus periculis poetae verba erant obiecta, priusquam pervenerunt ad nostram aetatem. Saepenumero enim librarii poetam corrigere conati sunt pro lectione tradita ponentes aliam suo arbitratu, sive ut verborum consecutionem planiorem redderent, sive ut sensum magis explicarent atque illustrarent, sive aliis de causis. Quas omnes discrepantias consulto a librariis factas hoc altero in capite huius opusculi mihi requirendas esse existimo.

Postquam iam Schneidewinus ostendit in primae classis optimo codice T librarium castum, quotiens verbum lascivum occurreret, clanculum aliud subiecisse[1]), Friedlaenderus denuo admonet multas tales correctiones factas esse easque non a codicum R et T librariis esse inlatas, sed maxima ex parte iam antea in illorum

1) Cf. prolegomena in editionem p. 85.

archetypo exstitisse [1]). Unde Lindsayus quoque dicit recensionem primam 'in usum elegantiorum hominum' scriptam esse [2]) eiusque librarium saepissime id egisse, ut e poetae verbis, quaecumque lectores offendere possent, auferret eaque quam maxime emendaret. Nunc autem ipsi omnia exempla huc spectantia perlustrantes videamus, quomodo ille librarius locos lascivos purgare temptaverit.

Ubicumque ceteris in recensionibus verbum *cunnus* exstat, in prima librorum familia scribitur aliud, plerumque *monstrum*; cf. III 87, 2 BC *cunno*] A *monstro*; VII 18, 6 BC *cunnus*] A *monstrum*; 8 BC *cunni*] A *monstri*; 13 BC *cunno*] A *monstro*; X 90, 1 BC *cunnum*] A *monstrum*; XI 43, 12 BC *cunnos*] A *monstros*; VII, 18, 11 BC *cunni*] T *nostri,* quod certissime corruptum est e *monstri*; IX 92, 11 BC *cunnum*] T *non faum,* qua in corruptela latet *monstrum.* Interdum alia quoque verba substituta invenimus, ut I 90, 7 *turpes* pro *cunnos*; X 90, 7 et XI 78, 10 *mundus* pro *cunnos.* Quin etiam complura verba librarius, ut hoc verbum lascivum evitaret, transmutavit I 77, 6, ubi pro *cunnum Charinus lingit* scripsit *lingua nefas carinus.*

Verbum *futuere* porro mitigatur prima in recensione variis modis; plerumque autem subicitur *subigere,* ut his exemplis: I 34, 10; III 721; VI 31, 2; XI 71, 2 BC *futui*] A *subigi*; VI 67, 2 BC *futui*] T *sibi,* quod est corruptum e *subigi*; VII 10, 3 BC *futuit*] A *subegit.* XIV 215, 2 porro exstat pro *futuant* in codice T *sinuant,* quod e *subigant* corruptum esse Lindsayus fortasse recte coniecit [3]). Saepe etiam in huius verbi locum *salire* subditur, quam ad rem cf. sequentia exempla: III 87, 1 BC *fututam*] A *salitam* (T *solitam*); IX 41, 5 C *fuit* (pro *futuit,* B om. h. locum)] A *saliit* (T *aliit*); X 81, 1 BC *fututam*] A *salitam*; 102, 2 BC *futuit*] A *saliit* (T *aliit*); XI 21, 11 et 12 BC *futuisse*] A *saliisse*; 23, 5 BC *futuam*] A *saliam.* II 31, 1 prima recensio exhibet *tetigi* pro *futui,* II 60, 1 *tractas* pro *futuis.* — Etiam substantiva huic verbo cognata interdum sublata eorumque loco verba decentiora posita esse invenimus; cf. I 73, 4, ubi prima classis exhibet *salitorum* pro *fututorum*; VII 18, 3 et 30, 3 *salitor* pro *fututor*; I 90, 6 pro *fututor* est *adulter.* Quin etiam XI 22, 4 *salitrici* pro adiectivo

1) Cf. praefationem editionis p. 73 sq.
2) Cf. Ancient editions of Martial p. 9.
3) Cf. criticam adnotationem.

fututrici subiectum invenimus. — Fortasse hic adiungenda est lectio, quam codex R II 31, 1 offert:

Saepe ego Chrestinam tetigi. Sed quam bene quaeris?

Pro *sed* praebent ceterae recensiones *det.* Illud *sed* autem pro *det* nonne verisimile est ad coniecturam librarii referendum esse? Equidem hoc ita esse mihi persuasi; nam calami error non videtur esse, quia *s* et *d* nullo alio loco confunduntur. Librarium autem, qui eodem versu pro *futuit* scripsit *tetigit,* offendisse etiam lascivam sententiam, quae est verbo *det* subiecta, probabile videtur.

Eundem librarium summa religione vel superstitione adductum I 12, 12 *deum* pro *deos* scripsisse, iam Schneidewinus commemorat de codicis T auctoritate disserens [1]). Alias huius modi correctiones non inveni.

Age vero nunc, quibus aliis locis recensio prima aberret a ceteris, consideremus. Ordinem enim binorum verborum semel atque iterum immutatum invenimus, cuius rei exempla nunc enumerem: I 92, 5 BC *nudi nec*] A *nec nudi*; II 53, 1 BC *fieri liber*] A *liber fieri*; III 36, 3 BC *semper te*] A *te semper*; 87, 1 BC *rumor chione*] A *chione rumor*; IV 5, 9 BC *fidus certus*] A *certus fidus*; VI 23, 1 BC *semper nostrum*] A *nostrum semper*; VII 31, 6 BC *rure missa*] A *missa rure*; 64, 1 BC *fueras tota*] A *tota fueras*; X 15, 5 B *nobis modium* (C om. *nobis*)] A *modium nobis*; XI 99, 1 BC *iam saepe*] A *saepe iam* [2]); XIII 82, 1 BC *ueni modo*] A *modo ueni.* Accedunt loci, ubi etiam plura verba transmutata sunt: IV 10, 1 BC *nec* (C et) *adhuc rasa mihi*] A *rasa nec adhuc mihi*; VI 43, 6 BC *hoc uestrae mihi sunt*] A *hoc mihi sunt uestrae.* — Quid iudicabimus de his permutationibus? Suntne calami lapsus an emendationes a poeta ipso susceptae? An librarii cuiusdam malae mutationes?

Tales verborum transmutationes etiam in aliis libris manuscriptis occurrunt plerumque inde factae, quod librarius quidam vocabulum omissum supra adiecit, ita ut ab alio librario denuo hunc locum exscribente facillime falso loco collocari posset. Forsitan coniecerit quispiam etiam has discrepantias simili casui deberi. Sed accuratius eas perlustrantibus nobis mirum videtur

1) Cf. prolegomena in editionem p. 85.
2) Cod. T pro *iam* habet *ima,* quod certissime ex *iam* corruptum est; cf. p. 23.

omnes fere optime quadrare in metrum, quod mea sententia per casum minime factum esse potest. Quam ob rem de permutationibus consulto oblatis agi mihi persuasi. Diiudicandum igitur est, utrum illae e librarii cuiusdam manu fluxerint an e poetae ipsius. Martialem autem ipsum, si modo epigrammata sua emendavit, tales lusus nugasque sibi sumpsisse quis credat! Multo probabilius est has discrepantias librarii corrigendi studio attribuendas esse, quod eo confirmatur, quia illum contextum permutare studuisse satis constat. Itaque, quamquam saepe indagare non possumus, qua de causa librarius ad huiusmodi transmutationes adductus sit, tamen rem ipsam se ita habere negari non potest. Quae cum ita sint, fortasse recte hic subiungo sequentes quoque locos: VI 23, 4 BC *contra te*] A *e contra* (pro *te c.*); VII 92, 5 (B om. hunc locum) C *curante* (pro *coram te*)] A *te coram*; IX 20, 3 B *o felix* (C om. *o*)] A *felix o.* Quibus locis omnium fere editorum consensu atque mea sententia prima recensio paulo meliorem verborum ordinem offert. Quoniam autem his locis etiam classes B vel C ordinem verborum ita dispositum exhibent, ut ferri possit, nondum sequitur, ut prima familia poetae verba vera praebeat. Potuit enim fieri, ut librarius, qui multa corrigere studuit, pauca vere corrigeret.

Sed haec hactenus! Ad maiores gravioresque discrepantias nunc progrediamur, quas, quamquam paulo difficiliores sunt ad perspiciendum, tamen a librarii cuiusdam manu profectas esse negari vix potest. Exstant enim in prima recensione variae lectiones, quas librarius, ut verborum consecutionem expeditiorem atque planiorem redderet, usurpasse videtur. Quarum commutationum summam partem illum suscepisse existimo, quia veram lectionem non satis perspexit; quamquam eum nonnullis locis lectionem in aliis libris traditam tantum, quia malam putavit, corrigere conatum esse non est absurdum. Quam rem omnino non omnibus locis certe diiudicare possumus.

Sequantur nunc exempla atque ducamus initium ab eiusmodi locis, ubi librarium poetae vera verba non satis intellexisse apertum videtur esse.

III 16, 5—6 Martialis sutorem quendam divitem, qui suo sumptu ludos paraverat, admonet, ut *sese in pellicula sua teneret:*

Sed te, mihi crede, memento
Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.

Quae lectio a familiis B et C oblata quamquam est proba, tamen primo obtutu non facile perspicitur; nam illud *te* initio huius enuntiati cum *tenere* coniungendum esse fortasse erunt qui obiter tractantes non intellegant. Unde librarius scripsit *tu* pro *te.* — Similiter res se habet XIII 97, ubi in familiis B et C rectissime exstat:

Dum tener est onager solaque lalisio matre
Pascitur, hoc infans sed breve nomen habet.

Codex T praebet *hic,* scilicet quia librarius verba *hoc* et *nomen* inter se cohaerere non intellexit. — IV 13, 3—4 BC exhibent:

Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam bene vina favis.

In prima recensione invenimus versu quarto *quam* pro *tam,* fortasse quia librarius putavit voculae *tam* antecedentis versus *quam* hoc versu respondere esse necessarium. Similem in modum librarius XIII 11, 2 pro *haec* subiecisse videtur *hoc,* quia versu antecedente exstat: *mulio quod non det.* VII 24, 1 porro BC habent:

Cum Iuvenale meo quae me committere temptas,
Quid non audebis, perfida lingua, loqui?

Ubi recensio A primo versu pro *quae* exhibet *quid,* quia librarius non perspexit illud *quae* spectare ad *lingua.* Videas porro VI 61, 9 BC *nesio quid plus est*] A *nescio quod plus sit*; *sit* pro *est* librarium subiecisse apertum est, quia interrogationem his in verbis latere existimabat. — VI 64, 22 BC praebent:

Audes praeterea, quos nullos noverit, in me
Scribere versiculos miseras et perdere chartas.

Hic quoque librarius non satis intellexisse videtur *quos* spectare ad *versiculos*; quam ob rem se hunc locum emendare putavit scribens: *quod nullus noverat.* IX 92, 7 in familiis B et C exstat: *quod debes, gai, redde*; codicis T lectio autem est: *quod debes gaio, redde.* Librarius enim non cognoscens *gai* esse vocativum hoc verbum falsissime cum *debere* coniungendum esse putavit ob eamque rem scripsit *gaio.* Addo hic etiam VI 46, 2 BC *magnam rem, Catiane, facit*] A *facis,* propter vocativum Catiane [1]). — Eundem in modum librarius indiligentius inquirens, quomodo singula verba inter se cohaererent, contextum corrupisse videtur

1) Cf. Gilberti Ad Martialem quaestiones criticas (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt 1883) p. 25.

sequentibus locis, quos tantum enumerasse satis esse puto. III 60, 10 BC *sportula quod non est prosit: edamus idem*] A *sportula quae* III 69, 1—3 *Omnia quod scribis castis epigrammata verbis inque tuis nulla est mentula carminibus, admiror . . . .*] T *omnia que* (= *quae*). IV 53, 1 BC *Hunc quem saepe vides intra penetralia nostrae Pallados*] A *intra penetralia nostra.* V 45, 2 BC *istud, quae non est dicere, Bassa, solet*] A *istud quod.* VI 10, 2 BC *qui mihi templa dedit*] T (A?) *quae m. templa.* XI 104, 9—10 BC:

Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das aviae (B *aule*) *qualia mane soles.*

A *auia qualia mane solet.*

XI 104, 21—22 BC *Lucretia toto sis licet usque die*] A *Lucretia tota.*

Quoniam ex omnibus his locis apparet librarium verba vicina coniungentem orationem sese volubiliorem reddere putavisse, sequentes quoque discrepantias huic studio attribuendas esse existimo, quamquam his locis lectiones primae recensionis non sunt falsae ac per se ferri possunt. Haec sunt exempla: III 21, 1 BC *Proscriptum famulus servavit fronte notatus*] A *fronte notata*; X 71, 4 BC *nulli sorte iacent candidiore senes*] A *nulla sorte.* XIII 74, 1 BC *Haec servavit avis Tarpei templa Tonantis*] A *Tarpeia templa.*

Hic addo aliquot locos, quibus quin librarius interpolationes intulerit mihi dubium non videtur esse. III 91, 9 BC *qui parte iacebat*] A *cum parte iaceret,* quod certe librarius mutavit, ut his in verbis causam inclusam esse clarius eluceat; similiter VI 2, 4 prima recensio pro *nasci quos sine fraude iubes* habet: *nasci quod s. fr. iubes,* quia his verbis id quod antea dictum est affirmatur; cf. etiam III 32, 1, ubi librarius pro *non possum vetulam? quaeris* scripsit *an possum . . .*, ut interrogationem his in verbis latere clarius eluceret [1]).

Sed missa haec faciamus, quae spectant ad verborum consecutionem, atque inquiramus in eas permutationes, quas librarius, ut sensus magis explanaretur, intulisse videtur. Invenimus enim nonnumquam pro lectionibus a recensionibus B et C traditis alias easque paulo faciliores atque planiores; id quod iam Friedlaenderus

1) Cf. ea, quae G. Friedrich (Hermae t. XLIII p. 621) de hoc loco disseruit.

ostendit atque nonnullis exemplis illustravit [1]). Qualem autem difficultatem horum locorum indagatio praebeat, etiam Lindsayus admonet [2]). Quoniam enim Martialis ipse se *lima rasa recenti* epigrammata sua emisisse narrat, nobis est diiudicandum, utrum discrepantiae primae recensionis a poeta ipso profectae sint an a librario quodam emendare conato. Nunc autem contemplemur omnes illos locos, quorum originem a librarii prava mutandi cupiditate probabilitate quadam revocabimus. Quas librarii correctiones quoniam saepe difficillime tantum discernere possumus ab explanationibus in margine vel supra appositis posteaque in contextum receptis, hos quoque locos hic afferam non accuratius inquirens, utri rationi singulae lectiones debeantur. Perpaucas tantum lectiones, quas ex adnotationibus supra adiectis emanasse manifestum est, hac in extrema parte adiungam. — Sequantur nunc singula exempla. I 70 poeta librum allocutus iubet ire salutatum ad Proculum amicum; admonet, ne superbum limen excelsae domus metuat; nam

Nulla magis toto ianua poste patet,
Nec propior quam Phoebus amat doctaeque sorores.

Sic tradunt recensiones B et C (C *proprior,* quod nihil est nisi error); quamquam hoc loco verbo *propior* vis inusitata atque rara subiecta est, tamen optime ferri potest [3]). Verba *nulla ianua propior est quam Phoebus amet* poeta usurpat pro *nulla ianua propter gratiam et favorem domini dignior est, quam Phoebus amet.* Quem sensum librarius manifestiorem reddere conatus est scribens *potior* pro *propior.* — II 60, 1—4 poetae verba ab altera tertiaque recensione ita offeruntur:

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Vae tibi, dum ludis, castrabere. Iam mihi dices
'Non licet hoc'. Quid? tu quod facis, Hylle, licet?

Ut recte intellegamus, qui sensus lateat in hoc epigrammate, praemonendum esse existimo — id quod Suetonius nos certiores fecit [4]) — a Domitiano interdictum esse ne viri castrarentur, quod

1) Cf. praefationem editionis p. 75.
2) Cf. Ancient editions of Martial p. 13 et sq.
3) Cf. Friedlaenderi adnotationem.
4) Domit. 4.

sequentibus locis, quos tantum enumerasse satis esse puto. III 60, 10 BC *sportula quod non est prosit: edamus idem*] A *sportula quae* III 69, 1—3 *Omnia quod scribis castis epigrammata verbis inque tuis nulla est mentula carminibus, admiror . . . .*] T *omnia que* (= *quae*). IV 53, 1 BC *Hunc quem saepe vides intra penetralia nostrae Pallados*] A *intra penetralia nostra.* V 45, 2 BC *istud, quae non est dicere, Bassa, solet*] A *istud quod.* VI 10, 2 BC *qui mihi templa dedit*] T (A?) *quae m. templa.* XI 104, 9—10 BC:

Basia me capiunt blandas imitata columbas:
Tu mihi das aviae (B *aule*) *qualia mane soles.*

A *auia qualia mane solet.*

XI 104, 21—22 BC *Lucretia toto sis licet usque die*] A *Lucretia tota.*

Quoniam ex omnibus his locis apparet librarium verba vicina coniungentem orationem sese volubiliorem reddere putavisse, sequentes quoque discrepantias huic studio attribuendas esse existimo, quamquam his locis lectiones primae recensionis non sunt falsae ac per se ferri possunt. Haec sunt exempla: III 21, 1 BC *Proscriptum famulus servavit fronte notatus*] A *fronte notata*; X 71, 4 BC *nulli sorte iacent candidiore senes*] A *nulla sorte.* XIII 74, 1 BC *Haec servavit avis Tarpei templa Tonantis*] A *Tarpeia templa.*

Hic addo aliquot locos, quibus quin librarius interpolationes intulerit mihi dubium non videtur esse. III 91, 9 BC *qui parte iacebat*] A *cum parte iaceret,* quod certe librarius mutavit, ut his in verbis causam inclusam esse clarius eluceat; similiter VI 2, 4 prima recensio pro *nasci quos sine fraude iubes* habet: *nasci quod s. fr. iubes,* quia his verbis id quod antea dictum est affirmatur; cf. etiam III 32, 1, ubi librarius pro *non possum vetulam? quaeris* scripsit *an possum . . .*, ut interrogationem his in verbis latere clarius eluceret[1]).

Sed missa haec faciamus, quae spectant ad verborum consecutionem, atque inquiramus in eas permutationes, quas librarius, ut sensus magis explanaretur, intulisse videtur. Invenimus enim nonnumquam pro lectionibus a recensionibus B et C traditis alias easque paulo faciliores atque planiores; id quod iam Friedlaenderus

1) Cf. ea, quae G. Friedrich (Hermae t. XLIII p. 621) de hoc loco disseruit.

ostendit atque nonnullis exemplis illustravit[1]). Qualem autem difficultatem horum locorum indagatio praebeat, etiam Lindsayus admonet[2]). Quoniam enim Martialis ipse se *lima rasa recenti* epigrammata sua emisisse narrat, nobis est diiudicandum, utrum discrepantiae primae recensionis a poeta ipso profectae sint an a librario quodam emendare conato. Nunc autem contemplemur omnes illos locos, quorum originem a librarii prava mutandi cupiditate probabilitate quadam revocabimus. Quas librarii correctiones quoniam saepe difficillime tantum discernere possumus ab explanationibus in margine vel supra appositis posteaque in contextum receptis, hos quoque locos hic afferam non accuratius inquirens, utri rationi singulae lectiones debeantur. Perpaucas tantum lectiones, quas ex adnotationibus supra adiectis emanasse manifestum est, hac in extrema parte adiungam. — Sequantur nunc singula exempla. I 70 poeta librum allocutus iubet ire salutatum ad Proculum amicum; admonet, ne superbum limen excelsae domus metuat; nam

Nulla magis toto ianua poste patet,
Nec propior quam Phoebus amat doctaeque sorores.

Sic tradunt recensiones B et C (C *proprior,* quod nihil est nisi error); quamquam hoc loco verbo *propior* vis inusitata atque rara subiecta est, tamen optime ferri potest[3]). Verba *nulla ianua propior est quam Phoebus amet* poeta usurpat pro *nulla ianua propter gratiam et favorem domini dignior est, quam Phoebus amet.* Quem sensum librarius manifestiorem reddere conatus est scribens *potior* pro *propior.* — II 60, 1—4 poetae verba ab altera tertiaque recensione ita offeruntur:

Uxorem armati futuis, puer Hylle, tribuni,
Supplicium tantum dum puerile times.
Vae tibi, dum ludis, castrabere. Iam mihi dices
'Non licet hoc'. Quid? tu quod facis, Hylle, licet?

Ut recte intellegamus, qui sensus lateat in hoc epigrammate, praemonendum esse existimo — id quod Suetonius nos certiores fecit[4]) — a Domitiano interdictum esse ne viri castrarentur, quod

1) Cf. praefationem editionis p. 75.
2) Cf. Ancient editions of Martial p. 13 et sq.
3) Cf. Friedlaenderi adnotationem.
4) Domit. 4.

supplicium olim de adulteris sumi solebat. Hoc epigramma autem paucis annis post illam Domitiani legem a poeta conscriptum esse constat [1]). Poeta igitur alloquitur puerum Hyllum ita: *vitias uxorem tribuni, dum tantum supplicium puerile times*, i. e. *dum nulla alia re ab hoc vitioso negotio deterreris nisi puerili supplicio, quod nunc est interdictum. Sed caveas, ne nihilominus hoc supplicium subeas.* Librarius verba *dum — times* non recte interpretatus repugnare putavit verbis *non licet hoc*, e quibus puerum illam poenam omnino non timuisse apparere videtur. Quam ob rem scripsit *nec* pro *dum*. Qua mutatione quamvis primo obtutu sensus optimus recuperatus esse videatur, tamen efficitur discrepantia, quia e verbis *nec times supplicium* concludendum esset tunc temporis illud supplicium nondum interdictum fuisse, e verbis *non licet hoc* autem contrarium. — II 71, 1 familiae B et C exhibent: *Candidius nihil est te, Caeciliane*; rec. A autem *Callidius*. Martialis hoc epigrammate queritur Caecilianum, si quando ipse sua legat carmina, protinus recitare Marsi aut Catulli scripta, ut illa conlata cum his deteriora viderentur. *Quam ob rem* — ait poeta — *candidius nihil est te.* Pro *candidius* autem librarius, quoniam ei hoc verbum non satis ad Caeciliani rationem obtrectandi Martialis scriptis quadrare visum est, subiecit *callidius*. — III 91, 12 familiae B et C conspirantes exhibent:

At nunc pro cervo mentula supposita est.

Ubi verbum *ceruum* pro *puer* usurpatum esse e totius epigrammatis sensu apparet; quam significationem inusitatam Friedlaenderus demonstrat referendam esse ad falsam etymologiam verbi *seruus*, quae tradita est apud Festum s. v. *servorum dies* ita: cuius (Dianae) tutelae sunt cervi a quorum celeritate fugitivos vocant servos. Verba autem *seruus* et *ceruus* alterum pro altero posita esse facillime putari possumus [2]). Quodsi in recensione prima invenimus *puero* pro *cervo* hanc lectionem librarius posuisse videtur, ut quae esset sententia huius versus clarius eluceret. — Similiter porro III 71, 2 librarius scripsit *facitis* pro *facias*, quia

1) Cf. Friedlaenderi praefationem editionis p. 54 atque adnotationem in hunc locum.

2) Cf. Friedlaenderi adnotationem in hunc locum.

verbis antecedentibus agitur de duobus hominibus. — IV 59, 2 familiae B et C tradunt:

Flentibus Heliadum ramis dum vipera repit,
Fluxit in opstantem sucina gemma feram.

Quo loco sermo est de Heliadum lacrimis, quas in electrum vel sucinum commutatas esse fama erat. Poetam dicere *fluxit gemma* mirum videtur, quia revera gemma fluere non potest; sed quis hanc dicendi rationem indiligentiorem poetae obiectabit! Tamen primae recensionis librarius in ea offendisse videtur; invenimus enim in hac librorum familia *gutta* pro *gemma*; qua lectione quamquam illa discrepantia aufertur, tamen ob eam ipsam rem hanc planiorem dicendi rationem librarii correcturam esse existimo. Contra enim librarium pro *gutta* audaciorem lectionem *gemma* subiecisse non videtur probabile. — VI 64 poeta invehitur in obtrectatorem quendam illumque, quam humili e gente ortus sit, admonet (1—3):

Cum sis nec rigida Fabiorum gente creatus
Nec qualem Curio, dum prandia portat aranti,
Hirsuta peperit rubicunda sub ilice coniunx,
Sed patris ad speculum tonsi matrisque togatae.

Classes B et C conspirantes exhibent *rubicunda*. Et optime hoc adiectivum ad *coniunx* quadrare puto: *Te non peperit mater* — ait poeta — *qualis Curii coniunx rubicunda*, i. e. *solis ardore adusta, labori assueta; immo vero tua mater erat togata*, i. e. *scortum, meretrix*. Nonne verba *rubicunda* et *togata* optime inter se respondere videntur nobis ita hunc locum interpretantibus? Quamquam confitendum est non sine meditatione haec verba recte intellegi posse. Hoc quoque loco recensio prima praebet lectionem leviorem: *hirsuta peperit deprensa sub ilice coniunx*; quam lectionem ideo, quod est ieiunior atque planior, esse interpolationem mihi est persuasum. Unde Lindsayus rectissime mea sententia familiarum B et C verba in edendis his epigrammatis praetulit. — VIII 21 Martialis depingit atque illustrat populi Romani studium Domitianum e bello Sarmatico redeuntem visendi, quod epigramma ipso adventus die ante solem ortum a poeta conceptum esse e verbis ipsis aperte elucet [1]). Atque lucem nimis lentam populo impatienti morae oriri poeta exponit his verbis (2—4):

1) Cf. Friedlaenderi adnotationem in hunc locum praef. editionis p. 60.

..... Phosphore, redde diem.
Roma rogat. Placidi numquid te pigra Bootae
Plaustra vehunt, lento quod nimis igne venis?

Pro *igne* exstat in prima recensione *axe*. Non est dubitandum, quin haec primae recensionis lectio facilior sit intellectu; nam *lento axe* quadrat optime ad verba antecedentia: *numquid te pigra Bootae plaustra vehunt? Lento igne* autem spectat ad solem nimis lente orientem, qui usus loquendi non est usitatus. Quaerentes autem, utra sit vera lectio, certissime familiarum B et C verba, quia praebent sensum optimum et eum occultiorem, unicam rectam putabimus, praesertim cum primae classis lectionem patentem librarius facillime sensus explanandi causa subicere potuerit. — XIII 115, 1 f. B et C tradunt: *Caecuba Fundanis generosa cocuntur Amyclis.* Simillime poeta verbum *coquere* usurpat X 62, 7: *feruens Iulius coquit messem.* Qui usus huius verbi librario satis audax visus est; scripsit enim *coluntur* pro *cocuntur,* qua mutatione efficitur, ut poetae verba ad exilem atque vulgarem loquendi rationem propius accedant. — I 53, 9 familiae B et C offerunt: *sic ubi multisona fervet sacer Atthide lucus. Atthis* autem hoc loco appellatur Pandionis filia Philomela in lusciniam permutata. Codex T pro *Atthide* habet *alite.* Nonne est probabile librarium hoc verbum subiecisse, ut sensus explanaretur? — I 88, 9 BC: *cum mihi supremos Lachesis perneverit annos*] A *cum mihi supremus Lachesis pervenerit annus.* Utrum librarius per errorem pro *perneverit* syllabis immutatis scripserit *pervenerit,* unde postea alius quidam *supremos annos* in *supremus annus* commutarit, an consulto has mutationes usurpaverit, certe diiudicari non potest. Hoc autem loco in prima recensione interpolationem exstare negari non potest.

Adiungo nunc ceteras huius recensionis varias lectiones, quae similiter ad coniecturas librarii cuiusdam sensum magis perspicuum reddere studentis revocandae esse videantur. III 19, 5 BC *vipera sed caeco scelerata latebat in aere*] A *iacebat.* — VI 8, 1 BC *Praetores duo*] A *praecones duo,* cf. v. 5: *praeconi dedit Eulogo puellam.* Qua mutatione librarium totius epigrammatis acumen sustulisse iam Gilbertus admonet [1]). — VI 43, 2 BC *canaque*

1) Ad Martialem quaestiones criticae (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt 1883) p. 25.

sulphureis nympha natatur aquis] A *unda.* — XI 21, 3 BC *rota transmisso totiens inpacta petauro*] A *intacta.* — XI 65, 1 BC *sescenti cenant a te, Iustine, vocati*] A *ad te vocati* (fortasse haec lectio est tantum error). — XI 104, 8 BC *at mihi nulla satis nuda puella iacet*] A *placet.* — XIV 61, 1 B *Dum lanterna viae clusis feror aurea flammis,* C *Dux l. viae*] A *Lux.* — IV 69, 1 BC *Tu Setina quidem vel Massica ponis*] A *potas.* — XII 31, 8 BC *Has Marcella domos parvaque regna dedit*] A *dapes,* quia antea commemorantur alimenta (holus, anguilla, turris avium [1]). — V 50, 3 BC *meque potes* (B *putes*) *medium transfigere ferro*] A *uelis.*

Utrum librarius omnes has immutationes adhuc enumeratas in ceterorum verborum ordinem redegerit an supra vel in margine apposuerit, non iam certe diiudicare possumus. Quoniam autem hae lectiones aptae sunt metro, valde adducor, ut eas a librario in verborum contextum ipsum insertas esse credam. Atqui inveniuntur nonnulli loci prima in librorum familia, quos ex explanationibus supra adiectis posteaque in contextum falsissime receptis ortos manifestum est. Eiusmodi adnotationes, quae glossemata dicuntur, sequentibus exemplis affirmari existimo.

VIII, 3 poeta narrat se septem libellis epigrammaton emissis *nihil iam plus addere* voluisse, sed Thaliam, *sororum nonam,* se admonuisse, ut porro carmina fingeret, ita locutam (11—13):

Tune potes dulcis, ingrate, relinquere nugas?
Dic mihi, quid melius desidiosus ages?
An iuvat ad tragicos soccum transferre cothurnos .....

Ita recte recensiones B et C poetae verba tradunt. In recensione A autem scriptum invenimus pro *soccum transferre soccum transire,* quod caret sensu. Sed nullo modo dubitabimus, quomodo haec lectio orta sit. Ut enim soccus erat comoedorum tegmen pedum, ita cothurnus tragoedorum; *soccum* autem *ad tragicos cothurnos transferre* poeta hoc loco imagine usus usurpat pro *a poematis iocosis transire ad tragica.* Quodsi in prima classe exstat *transire* pro *transferre,* hoc, opinor, inde est factum, quod librarius quidam verba *soccum transferre* exponens supra vel in margine adscripsit *transire,* quod postea in contextum irrepsit.

1) Cf. Gilbert, Ad Martialem quaestiones criticae (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt 1883) p. 25.

VIII 14 Martialis queritur sese habitare exili in cella *non tota clusa fenestra,* pomaria autem Cilicia amici divitis a tempestatibus hibernis defendi lapidibus specularibus, qui *admittunt soles et sine faece diem* (v. 4). Quid verbis *sine faece diem* significatur? Gronovius admonet: omne fere impurum faex dicitur [1]). Dies sine faece igitur est dies clarus atque illustris, quo sol nubibus fugatis urit. *Admittere* autem *diem sine faece per fenestram in domum* est nihil aliud nisi *solem admittere.* Prima recensio exhibet *et sine sole diem,* quae lectio mihi pessima videtur, quia male quadrat ad sensum; neque enim poeta invidet pomariis, quia dies sine sole, sed quia clara lux eis per specularia admittitur. Facillime autem haec lectio nasci potuit inde, quod librarius, ut verba *sine faece diem* explicaret, supra adiecit *solem.* Quod verbum postea ab alio librario describente in contextum per errorem insertum est pro *faece,* ita ut exstaret: *sine solem diem,* quod ab eodem vel alio homine iterum emendatum est in *sine sole.*

IX 68, 11—12 Martialis magistro ludi, qui saevo murmure atque verberibus iam prima luce vicinorum somnum removet, succlamat:

Discipulos dimitte tuos. vis, garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere, ut taceas?

Codex T tradit *tantum* pro *quantum,* quod repugnat sensui. Fortasse hoc quoque loco librarius *tantum,* quod subintellegendum est, supra apposuit, ut quomodo haec verba inter se cohaererent, clarius appareret: *vis garrule, tantum quantum acc. ut cl., acc. ut taceas?* Unde facile illud *tantum* pro *quantum* in ceterorum verborum seriem recipi potuit.

V 28, 8 codex T offert *forsitan* pro *forsan,* quae lectio metri legibus repugnat ob eamque rem minime e poetae manu fluere potuit. Hoc quoque loco probabile est librarium, ut formam contractam *forsan* explanaret, *forsitan* adscripsisse, quod postea pro *forsan* per errorem subiectum est. Idem mihi accidisse videtur III 93, 5, ubi in prima recensione pro *mammas* exstat *mamillas.* Poeta enim revera hoc versu *mammas arcanorum cassibus pares* intellegi vult *mamillas.* — Addo XIV 54, 1, ubi BC habent: *si quis plorator collo tibi vernula pendet*; rec. A autem scribit *a collo.* Et melius dicitur *a collo pendere* quam *collo pendere.* Quam ob rem

1) Cf. Observationes II 7.

etiam hic vocula *a,* ut sensus facilius intellegatur, supra adnotata fuisse videtur.

Disputanti autem de his librarii commutationibus mihi etiam illi loci afferendi videntur, ubi excerptor quaedam mutare coactus erat, quia haec classis librorum tantum epigrammaton excerpta offerebat. Quoniam enim haec recensio non omnes vel tantum paucos eiusdem epigrammatis versus saepissime praebet, facillime sermonis perpetuitas dirui potuit; quam ut restitueret librarium nonnumquam parvas atque leves mutationes facere opus erat. Quod apertissime licet videre XII 95, 3, ubi codex T pro *et* habet *has,* cum versibus praecedentibus omissis vocula *et* initium huius epigrammatis esse non possit. Similiter codex T XI 27, 5 offert *cum* pro *cui,* quia versibus quarto tertioque omnino omissis secundus erasus est, ita ut versus quintus primum subsequatur: *Ferreus es, si stare potest tibi mentula, Flacce, cum portat.* — VIII 21, 10 porro prima recensio pro: *et cupit Ausonium luna videre ducem* praebet: *et cup. Aus. Roma videre ducem.* Quoniam enim versus praecedentes, quibus est de sideribus, in hac librorum familia desunt, omnino non perspici potest, qua de causa *luna* Ausonium ducem, i. e. Domitianum videre cupiverit. Quam ob rem librarius scripsit *Roma,* quod optime convenit sensui. — II 41 denique librarius tantum versus 6—7 et 9—23 affert eosque hoc ordine dispositos:

v. 9. *Debes non aliter timere risum*
v. 10. *Quam ventum Spanius manumque Priscus,*
v. 12. *Cerussata timet Sabella solem*
v. 11. *Quam cretata timet Fabulla nimbum;*
v. 6. *Nam tres sunt tibi, Maximina, dentes* .....

Pro *nam* habent ceterae recensiones *et,* quod si librarius versibus ita dispositis retinuisset, sententiae perpetuitati valde repugnavisset.

III.

Quamquam non ignoro eorum quos tractavi locorum singulos fortasse alio quodam modo exponi atque explicari posse, tamen satis ex eis apparuisse existimo, quantopere sit cavendum, ne nimium confidamus primae recensionis lectionibus a ceterarum deflectentibus. Nam librarium huius archetypi ipsum mutationes

variis de causis intulisse exemplis, quae adhuc attuli, satis demonstratum videtur esse. Atque satis intellegi potuit hos locos non esse idoneos, unde censeamus recensionem A ab antiquo fonte pendere. Sed occurrunt nobis etiam satis multa exempla, ubi certe diiudicare non possimus, utrum librarii mutatio aut error praebeatur an antiquissima eaque bona lectio. Qui loci — quoniam ex eis nihil licet concludere — paucis tantum verbis hoc capite tractandi videntur.

Atque ducamus initium ab eiusmodi exemplis, quibus non solum recensio A, sed etiam recensiones B et C varias easque bonas lectiones offerant, ita ut nonnumquam difficile sit diiudicatu, utra recensio praebeat poetae vera verba. Quoniam autem hi loci primae classis sunt eiusmodi, contra quos fortasse aliquid dici possit, mihi non idonei videntur ad huius classis peculiarem vim confirmandam; quamquam eos ex antiquo eoque peculiari fonte emanasse fortasse est concedendum.

Ac primum hic commemoro pauca exempla, ubi recensionis A lectio, quamvis sit recta et ferri possit, tamen per errorem librarii facta esse videatur; cf. I 70, 10, ubi BC exhibent: *Cybeles picto stat Corybante tholus.* Tholus est tectum supra deae aram imminens [1]). Pro *tholus* autem prima recensio offert *torus,* quod et ipsum optime sensui convenit; nam torus est intellegendum pulvinar deorum. Duplicem igitur in modum videtur hoc loco verborum contextus traditus esse. Atque hoc exemplum idoneum videretur ad indagandum antiquissimum quendam fontem, nisi litteras r et l persaepe confundi satis constaret; quam ob rem haec lectio etiam ad errorem revocari potest [2]).

VI 21, 3 BC: *sed nequius illud in aurem* (scil. dixit)] A *in aure.* Uterque loquendi usus est optimus atque exemplis vel e Martialis epigrammatis ipsis affirmari potest [3]). Fortasse igitur prima recensio servavit antiquam eamque optimam lectionem; cum autem facillime *m* per errorem omitti potuerit, hoc quoque loco nihil probari potest.

1) Friedlaenderi adnotationem ad hunc locum.

2) Cf. dissertationem, quam scripsit Ernestus Weissbrodt: De R et L consonantium latinarum mutua ratione (Commentationes Philologae Ienenses VI 2) p. 161.

3) Friedlaenderus in adnotatione ad III 44, 12 alia utriusque generis exempla collegit.

Similes mihi videntur esse loci sequentes: X 41, 6 BC *ut nimium munera parca dares*] A *parva.* — VIII 55, 23 BC *ergo ero Vergilius*] A *ergo ego V.* — VIII 3, 22 BC *dum tua multorum vincat avena tubas*] A *cum tua,* — XIII 1, 5 BC *talo*] A *telo.*

Deinceps saepe non certe diiudicari potest, utrum recensionis primae lectiones per se bonae ad librarii emendationem referendae sint an ad antiqui libri auctoritatem. Quod exemplis nunc explicem. II 7, 1 in familiis B et C exstat *Attale,* in recensione prima *Attice.* Editores omnes primae classis lectionem praeferunt ceterarum familiarum; non enim videtur esse, cur diffidamus huic lectioni, quoniam eam neque errori deberi verisimile est neque librarium, si ceteras recensiones exscribens invenisset *Attale,* hoc nomen in *Attice* commutaturum fuisse probabile videtur. Sed accuratius in hoc epigramma inquirentes invenimus recensionem B v. 5 aeque *Attice* exhibere. Quam ob rem nescio an librarius huius classis scripserit etiam primo versu *Attice.* — III 68, 1 BC: *Hoc est usque tibi scriptus libellus*] A *Huc.* Quin *huc* sit optimum, non est dubitandum; sed etiam *hoc* nonnumquam pro *huc* usurpatur. Qua de causa etiam hic non libet diiudicare, utrum recensio A rectam lectionem servaverit an librarii mutationem praebeat. — III 42, 4 BC:

Simpliciter pateat vitium fortasse pusillum:
Quod tegitur, maius creditur esse malum;

quae lectio est bona; in prima autem familia legimus *magnum,* quod non minus quadrat ad sensum metrumque. Quid? Si librarius *maius* in *magnum* commutavit, ut hoc verbum melius positivae formae *pusillum* versus antecedentis responderet? — XIV 135, 2 BC *cum teget algentes alba lacerna togas*] A *comas,* quam lectionem haud scio an librarius supposuerit, quia *algentes* non satis ad *togas* quadrare putavit?

Reliqua exempla, ubi hanc rem certe disceptare non licet, haec mihi videntur esse: VIII 56, 3 BC *praemia*] A *munera.* — VI 64, 25 BC *totoque in orbe*] A *totaque in urbe.* — VI 84, 2 BC *auite*] A *amice.*

Ad hoc discrepantiarum genus etiam eos locos revocandos esse existimo, ubi haec recensio nonnullis lemmatibus librorum XIII et XIV offerat numerum singularem, recensiones BC pluralem; cuius rei habes haec exempla: XIII 59 BC *glires*] A *clis* (= *glis*); 67 BC *palumbi*] A *palumbus*; 70 BC *pauones*] A *pauo*; 72 (B

phasianae) C *phasiani*] A *phasianus*; 127 BC *coronae roseae*] A *corona rosea*; XIV 18 B (in lem. antecedentis epigrammatis turbato lemmatum ordine) C *calculi*] A *calculus*; 63 (B *tibicina*, cf. v. 1) C *tibiae*] A *tibia*; 121 B *coclearia*, C *cochlearia*] A *cocliare*. Scripsitne librarius omnibus his locis singularem numerum, quia in epigrammatis ipsis poeta plerumque non de compluribus rebus, sed tantum de una loquitur? (Cf. XIII 59, 1 *mihi*; 2 *sum*; 67, 2 *hanc volucrem*; 70, 1 *explicat*; 2 *hunc*; 72, 1 *sum*; 2 *mihi*; 127, 2 *rosa est*; XIV 18, 2 *gemmeus iste — erit*; 121, 2 *cocleare — vocor* [*er*].) Sed etiam ubi de duabus rebus agi apertissimum est, ut XII 63 (cf. v. 1 *nos*), exstat singularis modus in prima recensione. Quamquam igitur intellegi non potest, quare librarius has mutationes, si modo fecit, intulerit, tamen mihi hi loci non satis graves videntur ad primae classis vim peculiarem certe probandam. Quam ob rem etiam horum exemplorum origo remaneat in dubio.

Sed ne illis quidem locis, quibus prima recensio sola veram atque rectam lectionem offerat, nimis est confidendum. Potest illa quidem servata esse a prima familia ex antiquissimo quodam libro. Sed fac librarium huius archetypi exscripsisse ceteras recensiones, nonne est verisimile eum, si quando loci corrupti occurrerent, illas corrigere atque sanare conatum esse? Quare saepissime bonae lectiones, quae nunc in prima recensione exstant, non minus ad librarii cuiusdam emendationem revocari possunt, quam ad antiquissimi libri auctoritatem; praesertim cum vera lectio facile cognosci et restitui posset. Quis hoc semper certe diiudicabit!

Quantam autem difficultatem haec quaestio nobis afferat, uno exemplo accurate liceat explanare. II 82, 1 recensio prima sola recte exhibet:

Abscisa servom quid figis, Pontice, lingua?

Recensio B pro *figis* habet *fugis*, recensio C *fingis*. Duplici ratione mea sententia hoc exemplum interpretari possumus. In primis enim fortasse quis colligat librarium huius archetypi ceteras recensiones exscribentem in illarum lectione offendisse, quia malum vel nullum praebeant sensum. Non autem ignorans litteras *u* et *i* facillime confundi posse e *fugis* restituit *figis*, ad hanc coniecturam eo magis adductus, quia et *figis* optime sensui convenit et recensio C etiam litteram i pro u exhibet. — Sed etiam hac ratione de eodem loco iudicari potest: recensio prima servavit optimam lectionem ex antiquissimo libro; atque etiam ceterarum

familiarum mendosae lectiones antiquissimis temporibus, fortasse iam poetae ipsius aetate, in contextum irrepserunt. Fieri enim potuit, ut poeta ipse vel librarius quidam scriberet per errorem *fugit* atque hunc lapsum animadvertens i supra adiceret ita: *fugit*. Alius autem librarius illud *i* non videns scripsit *fugit*, alius *n* pro *u* legens illud *i* inseruit: *fingit*; tertius recte tradidit *figit*. Quem in modum iam paulo post quam Martialis haec epigrammata scripsit tales contextus variae lectiones exstabant, unde non solum recensionum BC menda, sed etiam primae classis bona lectio originem ab antiquissimis temporibus ducant. — Utra harum sententiarum inter se repugnantium sit praeferenda, mea sententia omnino discerni non potest. Restat igitur tantum, ut in tali re iudicium nostrum nihil valere confiteamur.

Sequantur nunc reliqui huius modi loci, ubi recensio A praebeat rectam lectionem, recensiones B et C varias falsas, attamen tales, unde fortasse librarius veram lectionem eruere posset. I 86, 7 B *iliacam*, C *miliacam*] A *Niliacam*, quod etiam propter *Syenen* (eod. v.) erat promptum; III 65, 7 B *aestivo . . . spargitur imbrem*, C *imo*] A *imbre*; IV 69, 1 B *marsica*, C *mersica*] A *massica*; quoniam hoc epigrammate est de vinis et primo versu Setina commemorantur, haec coniectura non erat longe repetenda. V 10, 3 B *insunt invidiae mores*, C *hae sunt . . . m.*] A *hi sunt . . . . m.* VI 8, 6 (B *digno nequid*), C *dignum quid*] A *dic numquid*, quod e *dignum quid* facillime emendari potuit. 32, 1 B *enpo*, C *senio*] A *enyo*, quod non solum e sensu (cf. v. 1 *belli civilis* et v. 3 *Martem*), sed etiam e corruptelis ceterarum recensionum concludi potuit. VII 33, 3 B *neglecto amictu*, C *delecto*] A *deiecto*; 64, 3 B *atheniaque*, C *aeternaque*] A *aetnaeaque*, cf. eodem versu: *Sicanias urbes*, et v. 9: *Siculas*. VIII 46, 1 B *quanta tuae probitas*, C *qu. tua prob.*] A *quanta tua est probitas*; sensu exigitur hoc loco *est*, quod eo facilius intellegi potuit, quia sequitur eodem versu *tanta est*. Praeterea autem latet *est* in corruptela *tuae*, quae certissime ad compendium: *tua* $\bar{e}$ (= *est*) referenda est.

VIII 67, 10 B *ut[antes*, C *uti ante*] A *ut iantes*; IX 26, 8 B *metuat*, C *meruit*] A *metuit*; 32, 6 B *crassi mentula Burdigalae*, C *crassa* (contra metrum)] A *crassae*. X 23, 4 B *propiores*, C *proprioris*] A *propioris*. 48, 13 B *Gastus*, C *Paruus*] A *Gustus*, quod non solum facile restitui potuit e *Gastus* neque etiam erat longe repetitum, quia poeta hoc epigrammate loquitur de dapibus.

97, 3 B *collectore*, C *pollectore*] A *pollinctore*; agitur enim de exsequiis hoc epigrammate. XI 22, 9 B *matrem*, C *mares*] A *marem*. XIII 39, lem. B *Haedum*, C *Haedos*] A *Haedus*; 83, 2 B *hic*, C *hunc*] A *hinc*, quod etiam sensu postulatur. 121, 1 B *pelignum*, C *pelini*] A *paeligni*. XIV 27 lem. B *crines* (cf. lem. 26), C *Saepo*] A *Sapo*, quod scribendum esse vel inde cognosci potuit, quod recensio B 26, lem. turbato ordine exhibet *Sapo*. 31, lem. B *culter uenarius*, C *cultrum*] A *culter uenatorius*; *uenarius* enim est nihil. 79, lem. B *Gragia*, C *Flaga*] T *Flacra*, quod est corruptum e *Flagra*. 111, 1 B *uexant*, C *peccat*,] A *peccant*. 118, 2 B *aquae*, C *aquam*] A *aqua*, quod verborum consecutione postulatur. 135, 1 B *Amphitheatra lino*, C *Amphitheatrales nos*] A *Amphitheatrali nos*. 157, 1 B *pullo lucentes vellere lanas*, C *legentes*] A *lugentes*; fortasse librarius verba *pullo vellere* et *lucentes* inter se non convenire animadvertens e *lucentes* vel *legentes* rectam lectionem coniectura invenit. 163, 2 B *solus*, C *lotum*] A *lotus*. 174, 1 B *fonti se mersit*, C *fronte remersit*] A *fontis emersit*. 196, 1 B *fronte set* (C *fiunt*)] A *fontes et*; quoniam hoc loco de aquis agitur, fieri potuit, ut librarius legens in secunda recensione *fronte s. fontes et* coniceret. 197, lem. B *Pomiliae*, C *Paulae*] A *Pumilae*; haud scio enim an librario vox *pumilus* nota fuerit, ita ut *pumiliae* emendaret in *pumilae*. 203, 1 B *crisatam*, C *crusat tam*] A *crisat tam*.

Quibus omnibus locis familiae B et C offerunt varias easque falsas lectiones, rec. A sola veram. Quae nunc addam exemplis familiae B et C eandem lectionem corruptam exhibent, recensio A item unice rectam. Tamen ne his quidem locis primae classis perculiaris auctoritas probari potest, quia familiarum B et C corruptelae non tantae videntur, e quibus librarius, quae sit vera lectio, conicere non potuerit. Ac primum ubi ceteris in recensionibus verborum formae leviter tantum errore quodam deformatae sunt, librarius facile rectam supponere potuit; cf. II 16, 5 BC *demitte*] A *dimitte*; 56, 1 BC *mal audit*] A *male audit*; III 95, 2 BC *curuus*] A *coruus*; IV 19, 12 BC *sidone*] A *sindone*; V 15, 1 BC *locorum*] A *iocorum*; VI 64, 17 BC *fixerunt*] A *finxerunt*; X 59, 6 B *pene* (C om. hunc locum)] A *pane*; XIII 32, 2 BC *belabrensem*] A *uelabrensem*; XIV 184, 1 BC *Illas*] A *Ilias*; 211, 2 BC *saepe*] A *saeue*.

Quibus locis familiae B et C litterarum confusiones aut omissiones offerunt, quales saepissime accidere solent. Unde librarius

haec menda animadvertere atque corrigere potuit, praesertim cum sensum percipere studeret. Saepissime autem librarius — ut taceam de sensu — etiam verbis vicinis ad rectam lectionem adduci potuit, ut hisce locis: VII 10, 9 BC *quid*] A *quod*, cf. versu sequente *quodque*; XIII 99, lem. BC *dorcae*] A *dorcas*, quod scribendum esse librarius e *dorcada* (v. 1) cognoscere potuit. 114, lem. BC *Trifolium*] A *Trifolinum*, quam lectionem librarium coniectura restituisse absurdum non videtur, quia etiam primo versu huius epigrammatis exstat *trifolina* atque omnia epigrammata vicina praebent similia lemmata (cf. 112 *Setinum*, 113 *Fundanum*, 116 *Signinum*). Fortasse recte hic XIV 185, 2 adiungo, ubi prima familia pro *nugibus* recte *nucibus* exhibet, quod etiam ad coniecturam librarii referri potest; nam praeterquam quod litterae *c* et *g* saepius confundebantur, librario fortasse e Martialis epigrammatis ipsis (cf. V 30; 84, 1; XIII 1, 7; XIV 1, 12) notum erat Romanos per Saturnalia nucibus ludere consuevisse.

Nonnumquam etiam verborum constructione atque contextu recta lectio apertissime postulabatur, ut his exemplis: IV 42, 1 BC *posset*] A *possit*, quod eo facilius conici potuit, quia versu secundo sequitur *velim*; III 60, 1 BC *cum uocor*] A *cum uocer*; V 16, 13 BC *inquit*] A *inquis* (cf. v. 2 *tu* .. *lector*, v. 4 *nescis*, v. 14 *dissimulas*); VI 45, 4 BC *turpius*] A *turpior*; XIII 57, 2 BC *trahet*] A *trahes*, quod scribendum esse vel e *ridebis* (versu antecedente) cognosci potuit; XIII 113, 2 BC *bibet*] A *bibit*, cf. *expressit* eodem versu. XIV 77, 2 BC *potes*] A *potest*; 82, 2 BC *dabunt*] A *dedit*; 193, 2 BC *domi*] A *domo*; aperte enim *domi* verbis *in tota* repugnat. — Utcumque autem res se habet, omnes hos locos fortasse etiam ex antiquo fonte derivatos esse negari non potest.

Sed satis nunc disputasse de hac re mihi videor. Puto enim exemplis allatis demonstratum et probatum esse saepissime ne optimas quidem lectiones primae recensionis firmum fundamentum esse ad huius familiae veram auctoritatem indagandam. Singuli enim loci, quos hoc in capite attuli, non sunt eiusmodi, unde quidquam concludamus. Quid autem revera de eis iudicandum sit, tum demum certe dicere poterimus, cum etiam in reliquas primae recensionis lectiones aberrantes a ceterarum inquisiverimus. Si enim exempla nobis occurrent, quibus huius classis peculiaris vis affirmatur, etiam horum lectionum summam partem testimonia antiqui cuiusdam libri putabimus; si minus, librarii emendationes.

IV.

Priusquam accedamus ad reliqua exempla examinanda, paululum subsistentes reputemus, quid adhuc de hac tota quaestione e locis allatis didicerimus. Demonstratum enim adhuc est hos libros primae classis calami erroribus atque interpolationibus inquinatos esse eorumque bonas quasdam lectiones fortasse ad coniecturas librarii revocandas esse. Quoniam igitur omnibus his locis lectiones, quae nunc in libris manuscriptis exstant, non sunt eaedem atque illius antiquissimi huius familiae fontis, sed temporum progressu in contextum irrepsisse videntur, ex eis illum primum auctorem fontemque huius classis cognoscere non licuit. Quam ob rem ex eo, quod adhuc perscrutati sumus, neque hanc codicum familiam sequi antiquum proprium librum neque ceteras recensiones B et C dicemus. Est igitur etiamnunc haec quaestio in suspenso. Quam rationem autem in diiudicanda hac re sequamur, utrum primae recensioni peculiarem vim abiudicemus an attribuamus, exempla quae hoc in capite tractabo, nos docebunt. Atque praemoneo mihi huius familiae peculiarem auctoritatem non videri negari posse; videor enim mihi satis multas lectiones proprias huius recensionis investigasse, quibus — quoniam eas neque erroribus neque librariorum mutationibus deberi verisimile est — huius recensionis peculiarem vim affirmari atque comprobari existimo. Sunt autem haec exempla plerumque talia, quibus recensio A habeat bonas lectiones, ceterae recensiones autem falsas aut peiores easque eiusmodi, ut librarium huius archetypi ex illis lectionem rectam repetiisse probabile non videatur.

Atque in primis ubi recensiones B et C praebent lectionem planam atque apertam, recensio A paulo occultiorem eamque optimam, hanc a medii aevi librario profectam esse credi vix potest. Neque enim ille verborum contextum, si modo mutare voluit, occultiorem, sed planiorem reddere studuit; quam ob rem tales librariorum mutationes semper paulo leviores atque ieiuniores sunt. Quodsi nobis occurrunt loci, ubi familiae B et C ieiuniorem exhibeant lectionem, minime putari potest hanc esse veram primaeque classis interpolationem. Quod exemplis illustrabo.

XII 94, 5 BC praebent: *fila lyrae doctis exculta Camenis.* Quoniam Camenas vel Musas doctas appellari non est inusitatum

atque multis exemplis illustrari potest, hoc verbum offensioni esse non potest. Tamen recensio A pro *doctis* habet *Calabris.* Quid hoc sibi velit, Friedlaenderus exposuit admonens Martialem falsissime Calabram Horatii lyram appellare[1]). Qui poetae error apertissime elucet ex VIII 18, 5, ubi legitur: *Calabri Flacci.* Quam ob rem hoc quoque loco *Camenas Calabras* spectare ad Horatiana carmina negari non potest. Nobis autem nunc est diiudicandum, utrum hanc lectionem primae recensionis librarii mutandi studio attribuamus an antiquissimo fonti, fortasse ipsi poetae. Fac librarium exscripsisse familias B et C atque ibi invenisse *doctis Camenis,* omnino non esse existimo, cur ille haesitarit his in verbis. Sin autem nihilominus hunc locum nescio qua causa mutare voluisset, minime probabile videtur eum *Calabris* pro *doctis* positurum fuisse: nam primum haud scio an librarius poetam hunc errorem commisisse nesciverit, tum, si scivit, eum poetae verbis hoc quoque loco hunc lapsum inserere voluisse mihi persuadere non possum. Tantum igitur restat, ut hoc loco primam recensionem poetae ipsius verba recte servavisse, lectiones autem recensionum B et C librario cuidam posterioris temporis deberi censeamus.

XI 39, 10 recensiones B et C conspirant in his verbis: *et vix a ferulis abstinet ira manum;* prima classis autem praebet: *et vix a ferulis temperat ira sua* (scil. pro *tua*). Quoniam familiarum B et C lectio est perpolita atque bonum sensum exhibet, excogitari omnino non potest, qua de causa librarius, si revera illas recensiones exscripsisset, pro earum bona lectione paulo absconditiorem subiecturus fuerit.

XII 94, 10 BC tradunt: *hinc etiam petitur iam mea fama tibi*; A *palma.* Cum *palma* voce *fama* accuratius explicetur, non autem *fama* voce *palma,* credi vix potest librarium pro *fama palma* scripsisse, immo vero multo probabilius videtur familiarum BC lectiones esse inde repetendas, quod librarius quidam pro *palma* supposuit *fama.*

I 43, 6 rec. C habet: *aut imitata brevis Punica mala rosas.* In archetypo B hic locus desideratur folio amisso. Recensio prima offert *grana* pro *mala*; granum autem est interior pars mali, quam sectam, ita ut singulae divisi mali particulae rosas aequa-

1) Cf. adnotationem ad V 30, 2.

rent, Romanos ponere consuevisse Friedlaenderus ex hoc loco coniecit[1]). Optimus sensus igitur inest etiam his verbis. Quomodo autem nasci potuit haec lectio? Librarium eam sumpsisse e secunda recensione non est credendum, quoniam ibi epigrammata XLI 4 — XLVII desiderantur neque in archetypo huius classis exstitisse communi omnium librorum lacuna apertissime comprobatur. Aut igitur librarius lectionem tertiae recensionis mutavit aut prima recensio servavit hoc quoque loco bonam lectionem. Sed estne verisimile librarium pro *Punica mala* scripsisse *Punica grana?* Tantum abest, ut hoc mihi persuadeam, ut certissime *grana* esse veram lectionem, *mala* autem glossema putem.

III 31, 4 B offert: *sustentatque tuas aurea mensa dapes;* C praebet lacunam toto hoc epigrammate omisso. Recensio A habet *aurea massa* pro *aurea mensa* quam meliorem esse lectionem Friedlaenderus admonet[2]), quoniam Romanos aureis mensis usos esse nusquam alibi commemoretur. Etiam hic recensionis A verba mihi meliora atque remotiora videntur, quam ut ad librarii emendationem revocari possint; tam bonas mutationes a medii aevi librario exspectare non licet. Immo vero hoc quoque loco *mensam* ex adnotatione cuiusdam librarii adscripta voci *massam* in contextum venisse constat.

XI 29, 6 f. BC tradunt: *et dabo Setini iugera culta soli.* Adiectivum *culta* apertissime quadrat ad *iugera soli* neque quidquam offensionis habet. In prima autem familia invenimus *certa,* quod spectat ad certam possessionem illorum iugerum. Num est verisimile librarium quendam hanc mutationem intulisse, quoniam ei illa lectio multo apertior obiecta erat?

III 85, 3 BC: *nihil hic tua perdidit* uxor, quae lectio stare potest. Recensio A habet *tibi* pro *tua,* quod est etiam elegantius dictum, quia optime hic dativus, qui dicitur ethicus, adhibetur. Minime autem probabile est librarium quendam *tua,* quod facilius intellegitur, commutasse in *tibi*; potius contrarium.

XI 84, 9—10 in recensionibus B et C exstat:

Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat,
Carnificem nudo pectore poscet avem.

1) Cf. adnotationem ad hunc locum.
2) Cf. adnotationem in hunc locum.

Prima familia exhibet pro *nudo duro.* Quaerentibus autem nobis, utra lectio facilius ex altera per librarii mutationem nasci potuerit, mea sententia dubium esse non potest, quin potius librarius *duro* in *nudo* correxerit quam *nudo* in *duro.* Etenim adiectivum *nudus* primo obtutu indiligentius inquirenti melius verbo pectus convenire videatur; nam Promethei pectus ab ave laniatum nudum neque obtectum fuisse manifestum est. Pectus autem durum, i. e. nervosum atque forte fuisse mihi paulo remotior et minus ieiuna lectio videtur esse. Quam ob rem etiam hac lectione antiquum fontem huius classis comprobari puto[1]).

XIII 64 BC:

Succumbit sterili frustra gallina marito.
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

Pro *hanc* habet recensio A *hunc.* Gilbertus demonstrat primae familiae lectionem praestare, quoniam ambiguitas vitetur[2]). Atque sequor hunc virum doctum, praesertim cum mihi *hanc* facillime propter *avem* interpolari potuisse videatur, minus *hunc.*

Similiter mihi non probabile videtur librarium XIV 1, 6 pro *praemia convivae det sua quisque suo* scripsisse *dent sua qu. suo,* quia haec est paulo inusitatior verborum constructio.

Hic deinceps nonnulli loci adiungendi videntur, ubi recensio A si non optimam, attamen lectionem quae ferri possit praebeat eamque paulo occultiorem quam ceterarum recensionum. Quibus locis etiam mirum videretur librarium verborum contextum difficiliorem ad perspiciendum reddere studuisse; cf. III 91, 9 BC *excidunt*] A *incidunt;* quoniam enim *excidere* saepissime pro *castrare* dici solet, *incidere* autem fere numquam in hanc sententiam usurpatur, equidem putare non possum librarium pro usitato verbo inusitatum subiecisse. XIV 46, 1 BC *Si me mobilibus scis expulsare sinistris*] A *nosti,* qua lectione synaloephe efficitur. Quamquam Friedlaenderus demonstrat poetam in hoc versus pede nullo alio loco synaloephen admisisse[3]), tamen ego cum Gilberto, qui *nosti* in editionem suam recepit, faciendum esse puto, quia librarium lectionem perpolitam *scis* in *nosti* commutavisse vix probabile est.

1) Cf. G. Friedrich, Zu Martial, Hermes XLIII p. 625.
2) Cf. Ad Martialem quaestiones criticae (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt) p. 16.
3) Cf. praefationem editionis p. 37.

Sed videamus nunc alios locos! Saepenumero enim prima recensio unicam veram lectionem offert, B et C autem tam corruptas, ut aegre ex his corruptelis librarius cognoscere potuerit, quae poetae ipsius verba fuerint. Praeterea sensus horum locorum non adeo in aperto est, ex quo facile quis rectam lectionem restituere possit. Perlustremus exempla! XII 14, 7—8 in recensione B exstat:

Non derunt qui tanta tibi spectacula praestent
Invidia satis et leuiore cadant;

etiam magis corrupta haec verba a tertia classe exhibentur:

Non derunt qui tanta tibi spectacula praestent
Invidia fatis et uiore cadit.

In recensione A optime legitur:

Non deerit (derit) qui tanta tibi spectacula praestet,
Invidia fati sed leviore cadat.

Si haec bona lectio ad librarii coniecturam revocanda esset, ille primum plurales numeros *praestent, derunt, cadant* in singularem commutavisset, quod mirum videretur, quia pluralis quoque optime perferri potest; tum ille e corruptis verbis ceterarum familiarum *satis et leu.* (B) et *fatis et uiore* (C) veram lectionem per coniecturam invenisset, quod mihi non minus mirum videretur, quia totius huius versus sensus omnino non facillime perspici potest; post autem e *cadant* et *cadit* rectissime coniecisset *cadat.* Tam multa autem illum tanta sagacitate correxisse vix credere possumus. Quam ob rem etiam hunc locum testem esse antiquissimi cuiusdam fontis multo propius ad verum accedere videtur.

IX 41, 5 C habet: *nempe semel futuit, generet Horatius utres,* quod omnino est nihil. In archetypo B desunt versus 5—6. Prima recensio sola recte exhibet: *nempe semel futuit, generaret Horatius ut tres.* Quae lectio aut residua est ex antiquo fonte aut coniectura est librarii. Cum autem librarium tam bonam coniecturam fecisse mihi verisimile non videatur, valde adducor, ut hunc quoque locum ex antiquo libro servatum esse credam.

XIII 65, 2 B *hanc in lautorum condere saepe soles,* C *h. in l. madere (mandere) s. s.* In recensione prima legitur iterum optime: *hanc in piscina ludere s. s.* Quoniam autem hoc epigrammate agitur de perdicibus, Friedlaenderus ex hoc loco coniecit Romanos fortasse ludum quendam, qui nominabatur „perdix in piscina“,

ludere consuevisse [1]). Num possumus putare librario hunc ludum, cuius nullo alio loco fit mentio, notum fuisse, ita ut hunc locum hac ratione emendaret?

XIV 65 in recensione B legitur:

Defuerit si forte puer soleasque libebit
Sumere, pro puero proserit ipse sibi.

quae verba corrupta esse apparet; neque enim, qui sensus verbis *pro puero proserit ipse sibi* insit, perspici potest. Familia C omisit totum epigramma. Prima recensio sola lectionem, quae intellegi potest, affert: *pro puero pes erit ipse sibi.* Non est credibile librarium hanc lectionem coniectura invenisse, quia non modo haec vera lectio difficillime e corrupta derivari potuit, sed ne incorrupta quidem facilis est ad intellegendum.

III 65, 8 B *quod madidas nardo sparsa corona comas* (sc. *olet*); C *nardos parta.* Neque secundae recensionis neque tertiae verba intellegi possunt. Prima familia scribit: *q. m. nardo passa c. c.,* quod quoniam non caret sensu, omnes editores receperunt. *Corona passa est comas* intellegi vult: *corona imposita est comis.* Quam dicendi rationem etsi interpretari atque intellegere possumus, tamen inusitatiorem atque remotiorem esse existimo, quam ut ad librarii emendationem referri possit. A poeta autem ipso huius modi licentiam exspectare possumus.

XIV 10, 1 C *Non sunt munera, quod putas puella,* quae verba plane carent sensu; in recensione B omittitur hoc epigramma. Recensio prima sola rectam lectionem tradidit: *Non est munera quod putes pusilla.* Quanta sagacitate opus fuisset, si librarius hanc bonam lectionem e corruptela classis C restituisset!

X 48, 23 B: *de prasino scutoque meus conuiua loquatur,* C *d. p. conuiua meus scipioque loquatur.* Recensionis C lectio est omnino nihil, rec. B praebet pessimum sensum; miramur enim accuratius non dictum esse, de quo vel cuius scuto conviva loquatur. Familia prima etiam hic unice recte habet *venetoque,* quod optime quadrat ad *prasino.* Venetae enim atque prasinae erant factiones ludorum circensium, de quibus libentissime sermones conferri solebant [2]). Librarium autem adeo Romanorum consuetudinibus rebus-

1) Cf. adnotationem in hunc locum.

2) Cf. Friedlaenderi Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms, I 379, 6.

que imbutum fuisse vix mihi persuadere possum, ut verba corrupta ceterarum recensionum tam bene sanaret. Quam ob rem dubium non est, quin etiam hoc loco primae familiae peculiaris auctoritas confirmetur.

De sequentibus quoque locis hunc in modum iudicari velim, quamquam eis non eandam auctoritatem atque antecedentibus attribuendam esse confiteor. VI 50, 3 B *coepit coepit,* C *coepit*] A *ex co* (i. e. *quo*) *coepit;* VI 10, 4 BC *pudet pauca* (contra metrum)] A *pudet a* (ab) *pauca*; IV 62, 1 B *Tibur herculeum,* C *Tiburiae herculeum*] A *Tibur in herculeum* (R *erculeo*); II 85, 1 B *coptae,* C *coeptae*] A *coctae*; XIII 24, 2 BC *licet*] A *placent.*

Si porro in prima recensione sola verba rara atque insolita recte tradita invenimus, non est verisimile illa librarium medii aevi pro corruptelis ceterarum familiarum substituisse, praesertim cum sensu non apertissime postularentur, ut hisce exemplis: V 37, 13 B *chyrus,* C *scyrus*] A *sciurus*; XIV 202, 2 B *certo pedicus,* C *secercopiticus*] A *cercopithecus*; VIII 33, 6 B *fulcho,* C *pulcro* (*pulchro*)] A *fulcro.* Neque etiam XIII 28, 1 librarium pro *menta* (B) vel *mensa* (C) recte *meta* supposuisse puto, quia hoc loco verbo *meta* rarissima atque inusitata vis est attributa; usurpatur enim pro vase, quae significatio haud scio an librario nota fuerit.

Affero nunc alios locos, qui mihi huius classis auctoritatem testificari videntur. Inveniuntur enim nonnulla exempla, ubi recensiones B et C malum vel omnino falsum verborum contextum exhibent. Attamen horum locorum menda non sunt tam proclivia adeoque in aperto, ut primo obtutu facile perspici possint, sed remota atque abscondita, ut accuratius demum in hos locos inquirenti conspicua fiant. Quoniam autem librarii medii aevi nondum tanta diligentia et sagacitate quanta huius aetatis viri docti veterum scripta pertractare atque emendare solebant, has quoque optimas lectiones primae classis librarium medii aevi restituisse non puto. Illustretur hoc exemplis.

I 37, 2 recensiones B et C conspirantes exhibent *Bassa,* prima classis sola *Basse.* Utriusque nominis Martialis saepius mentionem facit. Quoniam autem neque sensus omnium epigrammaton, quibus Martialis *Bassam* quandam alloquitur, convenit huius epigrammatis[1]) et *Bassus* quidam a poeta aliis quoque epigram-

1) I 90; IV 4, 12; IV 87; V 45.

matis propter eandem luxuriam atque hoc loco sugillatur[1]), certissime *Basse* scribendum est. Praestat igitur primae classis lectio. Quis autem credat librarium, si modo ceteras recensiones exscripsit, tam accurate atque subtiliter in singulos locos inquisivisse, ut huius modi errorem obtectum animadverteret!

XIV 162, 1 BC: *Fraudata tumeat fragilis tibi culcita pluma,* quae verba accuratius non inquirenti nescio an suspecta non videantur. Tamen primum est mirum hoc loco poetam singularem numerum *pluma* usurpare, quamquam pluralis sensu exigitur; tum verba *fraudata pluma* ita planius exponi exspectamus, ut dictum sit, cui pluma sit erepta; post autem vox *pluma,* quoniam epigrammate antecedente (lem. et v. 1) exstat ob eamque rem facile per errorem librarii irrepere potuit, suspecta est. — In prima recensione invenimus *mula* pro *pluma.* Omnes autem illae ceterarum recensionum offensiones non sunt adeo in aperto, quibus librarius huius familiae ad corrigendam hanc lectionem adduci potuerit. Sin autem nihilominus emendare conatus esset, eum pro *pluma* scripturum fuisse *mula* credi vix potest; neque enim omnino sensu hoc verbum postulatur. Unde non dubito quin prima familia hanc lectionem ex antiquo libro servaverit.

IV 75, 3 BC:

Te patrios miscere iuvat cum coniuge census,
Gaudentem socio participique (B *participemque* vel *-peque*) *viro.*

Gilbertus demonstravit formam *participique* esse malam ob eamque rem primae classis lectionem *participare* praeferendam[2]). Neque hic librarium medii aevi tam subtiliter, quid illa forma suspecti haberet, sensu ipso percepisse puto, ut eam corrigere conaretur.

XIV 186 BC:

Quam brevis immensum cepit membrana Maronem!
Ipsius vultus prima tabella gerit.

A *ipsius et uultus* ... Rectissime Gilbertum admonuisse existimo illud *et* esse necessarium ad sensum amplificandum[3]). Num librarius hoc animadvertit?

1) Cf. V 23; VIII 10.
2) Cf. Mus. Rhen. 39 p. 518.
3) Ad Martialem quaestiones criticae (Programm des Kgl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt) p. 16.

Addo hic reliqua exempla, ubi recensiones BC similiter corruptelas latentes exhibent, quibus aegre librarius offenderet. VI 16, 2 BC *iugera sepositi pauca loci*] A *soli*; 4 BC *puer aut puella*] A *puer et puella*; I 115, 2 BC *toto candidior puella cycno*] A *toto*; XIV 1, 1 BC *senatus*] A *senator*; II 5, 3 BC *distingunt*] A *disiungunt*; XII 19, 2 BC *foras* (aut *foris*)] A *domi*; IV 42, 9 BC *breuiter*] A *leuiter*; IX 26, 2 B *pallia* (C *pallio*)] A *pallida*; VII 35, 4 BC *nulla sub cute pondus habet*] A *nuda s. c. p. h.*; XI 81, 4 BC *sine effectu prurit uterque labor*] A *utrique labor*.

Etiam sequentes bonae lectiones ad librarii coniecturas mihi vix revocandae videntur, quamquam concedendum est his locis recensionum B et C mendosas lectiones paulo facilius perspici posse: IV 4, 12 BC *malles*] A *mallem*; I 51, 4 BC *uelint*] A *uelis*; V 76, 1 BC *toto ueneno*] A *poto*; VI 61, 9 BC *quod donant saecula chartis*] A *qu. donat s. ch.*; VI 75, 2 BC *siue quid his simile*] A *s. qu. his simile est*; XII 14, 5 BC *ager*] A *agger*.

Adhuc singulis exemplis demonstrare conati sumus, quam improbabile sit variis de causis, eorum bonas lectiones a librario quodam profectas esse. Atque confiteor, quomodo singulos locos interpretatus sim, fortasse interdum in disceptationem vocari posse; quis enim in talibus quaestionibus numquam se titubaturum esse putabit! Tamen, quod nunc sum dicturus de his locis, omnino negari non posse persuasum habeo. Iam enim nobis, quoniam de singulis exemplis disseruimus, universa atque cuncta collustranda videntur.

Vidimus enim omnibus fere locis hoc in capite allatis recensionem primam exhibere aut lectionem unice rectam aut meliorem quam ceterarum recensionum. Nec numerus eorum locorum, ubi recensio A sola habet bonam lectionem, exiguus videtur, praesertim cum etiam multis locis antecedentis capitis huius dissertationis in prima recensione sola poetae verba recte tradita esse reputemus. Tot autem coniecturas easque optimas atque illustres librarium quendam medii aevi protulisse non verisimile est nobisque omnino absurdum videtur has bonas lectiones comparantibus cum illis librarii manifestis commutationibus, quas altera in parte huius opusculi pertractavimus. Quantum interest inter utrasque lectiones! Illae leves mutationes, nugae ridiculae, discrepantiae primo obtutu perspiciendae! Hae optimae lectiones, quas si

coniecturas putaremus, sagacissimo huius aetatis viro docto dignas esse crederemus. Tales coniecturae librario medii aevi non debentur!

Quae cum ita sint, haud est dubitandum, quin omnes hi loci ex antiquo fonte conservati sint. Ad quod etiam magis confirmandum reliquos locos afferam, quibus recensio A discrepat a ceteris. Sunt autem maxima ex parte tales, ubi cum BC tum A lectiones bonas exhibent, ita ut difficile sit ad diiudicandum, utra lectio praestet; quam ob rem editores modo primae recensionis, modo ceterarum verba in editiones suas receperunt. De huius modi exemplo (II 20, 2) Lindsayus disseruit [1]). Ubi recensio C habet: *Nam quod emas, possis dicere iure tuum*; B om. hunc versum; A tradit *iure vocare* pro *dicere iure,* quae verba non minus perferri possunt. Quo exemplo usus Lindsayus admonet, ne nimiam auctoritatem talibus variis lectionibus attribuamus, quoniam saepissime casibus tantum debeantur. Facillime enim fieri potuisse, ut librarius per errorem omitteret *vocare,* alius autem hanc lacunam explere studens scriberet *dicere.* Sic igitur tali loco, ubi contextus duplici ratione traditus esse videretur, nondum peculiarem auctoritatem huius libri comprobari. Atque confiteor, si agitur de uno tantum loco aut paucis interpretandis, cum Lindsayo non multum tali loco tribuendum esse. Sin autem inveniuntur complures vel multi, credi vix potest eundem casum saepius accidisse. Videor autem mihi satis multa exempla indagasse, quibus cum recensio A tum ceterarum una aut utraque offerunt varias lectiones, quae ferri possunt. Quoniam autem e singulis exemplis nihil colligi potest, cuncta enumerabo.

II 46, 10 BC *quid renuis*] A *quid metuis*; IV 66, 7 BC *raptus flumineo uenit de gurgite piscis*] A *captus*; IV 5, 7 BC *circa Palatia*] A *circum*; V 16, 13 B *satis est* (C *satis*)] A *iuuat et*; VI 32, 4 BC *et fodit certa pectora nuda manu*] A *tota*; XI 29, 3 BC *murem*] A *uitam*; XI 84, 1 et XII 90, 3 BC *undas*] A *umbras*; XII 17, 3 B *tecum pariter pariterque* (C *tectum pariterque*)] A *tecum pariter tecumque*; II 40, 3 BC *subdola tendundur crassis nunc retia turdis*] A *ceruis*; III 24, 2 BC *tuis uictima grata sacris*] A *focis*; VII 94, 1 BC *Unguentum fuerat, quod onyx modo parua gerebat*] A *ferebat*; X 26, 5 BC *frigentia ora*] A *fulgentia ora*; XIII 26, 1 BC *Sorba*

1) Ancient editions of Martial p. 15.

sumus, molles nimium durantia (C *dicantia*) *uentres*] A *tendentia*; XIV 117, 1 BC *aquam potare rigentem de niue*] A *recentem*; 119, 1 BC *Dum poscor*] A *cum poscor*; 167, 2 BC *garrula plectra*] A *candida pl.*; 187, 1 BC *Hac primum iuuenis* (C *iuuen*) *lasciuos lusit amores*] A *iuuenum*; 197, 2 BC *altius in terra paene sedere soles*] A *saepe*.

Tot varias lectiones eodem casu factas esse non est credibile. Sed fortasse quispiam omnes hos locos ad interpolationes referendos esse putaverit; quod mihi non probatur, quia omnino intellegi non potest, qua de causa librarius medii aevi ad has mutationes adductus sit. Eum autem sine ulla causa contextum mutasse mihi verisimile non videtur, praesertim cum exempla satis multa videantur esse. Quam ob rem has lectionum varietates iam pristinis, fortasse poetae ipsius temporibus natas esse valde adducor ut credam.

Nunc demum, quoniam huius familiae lectiones aberrantes a ceterarum verbis satis perscrutati sumus, ad ea quae quaesita erant, respondere licet. Exemplis quae in extrema dissertatione interpretatus sum, satis probatum esse puto huic librorum familiae peculiarem vim non esse abiudicandam. Has enim lectiones librarium coniectura invenisse aegre credemus. Quoniam autem propriam auctoritatem huius classis refutare non potuimus, nescio an concedendum sit magnum numerum earum lectionum, quas tertio in capite huius dissertationis attuli, ex antiquissimo libro emanasse. Pervenimus igitur hac in quaestione ad eundem finem atque viri docti qui ante me huic rei studuerunt: prima recensio non pendet a ceteris, sed ex novo eoque antiquo fonte derivata est.

Iam vero, quod mihi non minus grave videtur, est deliberandum, quantam auctoritatem lectionibus examinatis huic classi attribuamus. Viri docti omnes communi fere consensu eam summis laudibus efferunt. Ac primum Schneidewinus de codice T disserens iudicat: „Parisinorum codicum vetustissimus idemque longe praestantissimus est Thuaneus“ [1]). Gilbertus porro de tribus Martialis codicum familiis disputans: „Nam cum Martialis — ait — epigrammata tribus librorum familiis ad nos pervenerint, fam. A (R, T, H), quae est optima, sed tantum excerpta con-

1) Cf. prolegomena ad edit. p. 83.

tinet . . .“ [1]). Friedlaenderus quoque commemorandus est, etsi non eodem modo atque ceteri viri docti collaudat hanc familiam; liceat mihi ipsius verba afferre: „Trotz aller erwähnten Mängel ist die Ueberlieferung der Familie A im ganzen die beste . . .“ [2]). Lindsayus denique admonet: „It will be seen from the above lists that the authority of A^A stands highest, while B^B takes the second place“ [3]). Mihi autem ab hoc virorum doctorum iudicio discedendum videtur esse; atque ex exemplis hac in dissertatione tractatis satis apparuisse puto, qua de causa hac in re cum illis facere non possim. Demonstrasse enim mihi videor non solum hanc classem erroribus scatere, sed etiam librarii interpolationibus ita esse inquinatam, ut saepius vel optimis lectionibus diffidendum sit. Atque numerus horum locorum eo maior videtur, quoniam haec classis tantum excerpta epigrammaton offert; contra bonae lectiones minime sunt tam multae, ut illis pares esse possint.

Quae cum ita sint, a me impetrare non possum, ut hanc recensionem optimam putem; nam optimarum lectionum auctoritas obruitur corruptelarum et emendationum mole, ut vera eius ac propria laus valde obscuretur.

1) Cf. praefationem ad editionem IX.
2) Cf. praefationem ad editionem p. 78.
3) Ancient editions of Martial p. 33.

VITA.

Natus sum Carolus Keil die XXI. mensis Decembris anni 1885 Arnstadiae, patre Mauricio, matre Minna e gente Kaphahn, quos ambos in vivis esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus gymnasio patriae urbis traditus sum, ubi vere anni 1904 maturitatis testimonium adeptus sum. Quoniam mihi iam gymnasii discipulo consilium docendi muneri me dedere constabat, vere eiusdem anni Ienam me contuli, ut studiis maxime philologicis operam darem. Ubi duodecim menses versatus Turici atque Lipsiae per singula semestria eisdem studiis operam navavi. Vere anni 1906 Ienam, ut studia mea ad finem perducerem, redii.

Docuerunt me Ienae viri doctissimi Goetz, Hirzel, Delbrück, Gelzer, Eucken, Liebmann, Wendt, Weinel, Lietzmann, Michels, Leitzmann, Weber; Turici Hitzig-Steiner, Kaegi, Schweizer, Furrer; Lipsiae Immisch, Lipsius, Hauck, Zarncke.

Proseminarii philologici sodalis fui Ienae moderantibus viris doctissimis Goetz et Hirzel per anni spatium, Lipsiae per semestre spatium moderante Immisch. Seminario philologico per ter sex menses interfui moderantibus Goetz, Hirzel, Gelzer. Praeterea exercitationum metricarum, quas instituit Goetz, atque palaeographicarum, quas moderatus est Keutgen, particeps fui.

Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas, praecipue autem Georgio Goetz, qui semper studia mea benevolentissime adiuvit.